HISTORIÆ UNIVERSALIS SYNOPSIS, Theorica & Practica:

Ex Bibliotheca hoc est, J. R. F. Comitis

PHILIPPI GLASERI, JUR. DOCT. in Academia Argentinens. quondam Glogoviæ Professoris, Superiorisq.

NARRATIO COMPENDIOSA PRÆCIPUARUM HISTORIARUM MUNDI, ab O. C. usq; ad annum Christi M. D. CI: novâ editione in quatuor libros digesta: libris in capita distinctis: monstrato usu variis regulis optimorum autorum, Theologicis, Ethicis, Oeconomicis, Politicis: operâ & studio

CASPARIS DORNAVI PHILOS. ET MED.

Nicet. init. Histor.

Historia est liber viventium, & tuba, quâ excitati mortui in medium producuntur.

GORLICI

Typis & sumptib. Joannis Rhambæ. CIↃ. IↃ C XV.

Q. F. F. Q. S.

ILLUST. ET GENEROS.
DOMINO,

DN. ADAMO BUDOWECIO

L. BARONI A BUDOWA,
MONACHOGRÆCI, ZASADECI,
KOZNOWICI, MONASTERI
DOMINO,
SAC.ᶻ CÆS.ᶻ MAIES.ᵗᵢᵢ POCILLATORI,
SINCERÆ PIETATIS, ELEGANTIS
DOCTRINÆ, VIRTUTIS
OMNIGENÆ
ASSERTORI, VINDICI,
PATRONO MAGNO,
EXIGUUM MUNUS, QUOD DE SUO POTEST,
L. M. Q. D. D. A.
CASPAR DORNAVIUS,

ἀρετῇ καὶ χάριτι.

462938 I
Sz 1909
Sz-2005/951/1
[250-]
4.11.2005

PRÆLOQVIUM.

SI quod ego judiciũ facere possum, ILLUST. DOMINE: aut me fallunt omnia; aut rei Medicæ disciplinæq; moralis eadem origo quondam exstitit. Nam ut de Medicina exorsus fiat dictionis meæ: cùm quis convaluerat prisco seculo; religione tenebatur: quid auxiliatum fuisset, tabellæ inscribere; templo Aesculapi suspendere. Tale monumentum, Græcis literis marmori incisum, ante annos haud multos Maphæi Romæ ostentabant: ex templo Aesculapi in Tiberina insula erutum, memoriæq; consecratum. Posteà curationibus hisce, numero plurimis, hinc inde collectis, omnium primus admovit felicissimam manum Hippocrates: & adjutus tum nativâ judicii acrimoniâ, tùm philosophiæ, inprimis Logicæ beneficio, præcepta in artis formam, oratione pressâ, sed purâ, sed nervosâ concinnavit. Quo nomine summi viri debemus industriæ; quidquid in medendi arte doctum, solidum, firmumq;, non circumforaneum, habemus. In doctrina verò illa, quæ hominum mores informat, quà publico, quà privato bono; num dissimilis ratio exstitit? Nam, ut nihil est initio perfectum, priùs, quàm præceptis conscriberetur hæc scientia, in res gestas intuebantur mortales, tanquam in illustri positas monumento (Livi utor verbis) unde sibi, familiæ, Reip. quod imitarentur, capiebant; unde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitabant. Posteris seculis ex præteritorũ memoria, revocatis ad animum & inter se collatis causis, consiliis, agendi modo, eventu; etiã regulas ad omnẽ vitam consignârunt. Horum princeps autorq; Moses, in po-

Plin. lib. 29 cap. 1.

Mercurial. lib. 1. art. gymnast. c. 1.

Vario & Strabo.

Liv. in proœm.

(a) ij pulo

pulo DEI glaciem, quod dicitur, fregit. Non modò enim ab Aegyptiis sacerdotibus, fatali Thermutidis instinctu, Philosophiam didicit hieroglyphicam, Geometriam, Musicam, Harmonicam, Medicinam, Rhythmicam: sed ipsius etiam DEI institutione per dies quadraginta usus; benè beateque vivendi scita, huic servientia alteriq; vitæ, promulgavit. Secutus hunc fuit in Græcia Socrates; qui cùm ab Hippocrate Logicæ esset præsidio instructus necessario, primus inter Ethnicos, non jam exemplis tantùm, honestè agere docuit: sed præceptiones quoq; tales, â Platone posteà divulgatas, posteritati reliquit. Hoc illud fuit; quòd Philosophiam ê cœlo dicebatur devocasse, hoc est, ex divinorum contemplatione ad hominum curam usumq; deduxisse, applicuisse; præceptisq; adeò docuisse,

Philo Iuda. lib. 1. de Vita Mos.

Exod. 34. v. 28.

Cic. 5. Tuscul.

Pers. Sat. 4.

——— justum geminâ suspendere lance
Ancipitis libræ, rectum discernere, ubi inter
Curva subit, vel cùm fallit pede regula varo.

Posteaquam verò ex observationibus utrinq;, & scientia Medica exstructa fuit, & civilis moralisq; disciplina: tam arctâ deinceps cognatione inter se devinctæ manserunt ambæ: ut neutra præceptis, exemplis neutra carere potuerit; nec possit ullâ tempestate: quamdiu rectè consultum societati humanæ ibimus. De re Medica non expromam ampliùs orationem. Illud de civili & morũ doctrina adfirmabo; &, quemadmodum spero, veritatis leges migrabo minimè: eum demum & frugi futurum, & sapientem; qui regulas sapientum scitè cum exemplis, & seipsum utrisq; totum, actionesque omnes accommodaverit. Hæc cynosura est certa;

Utcunq; in alto ventus est; exin velum vortitur.

Plaut. Epid.

Meritò enim sacerdos ille Aegyptius, quod Plato literis prodidit, Solonem & reliquos Græcos appellavit pueros: quòd nullum vetustatis gustum animo perceperant. Quid enim est,

Plato in Timæo.

est, perpetuò puerum esse? nescire quid factum sit, antequam natus fueris: ut de suo mihi hoc largiatur Tullius. Sed & illud in vitio est, plenum puerilitatis; quod Thucydides improbat: ita memorari res gestas; quasi ludicrum quiddam, quo ad præsens aures demulceantur. Pretium itaq; faciunt immortali profectò cedro dignum; qui ita Historias recensent juventuti: ut, unâ eademq; operâ, severiora præcepta cum exemplorum appositione quàm lenissimè influant. Ego sanè cum fide eorum sequi industriam volui: si omninò adsequi eorundem felicitatem non licet. Compertum enim habebam: Philippi Glaseri τὸ μαμαρίτου, quam inscripsit Narrationem Universalis Historię, haud exiguâ accessione & doctrinæ & sapientiæ legi ab iis, qui sacris hisce initiari cupiũt. Nam & rotundâ brevitate commentatur de pręcipuis omnium ætatum historiis, sacris, profanis: & æquabilis sermonis facilitate, concinnitate ordinis, chronologiæ observatione, ita est dilucidus juxtà & circumspectus; ut intelligi haud difficulter queat ab omnibus; negligi â nemine, præsertim tyrone, debeat. Cùm verò continua esset narratio illa: putabam me juventutis tum memoriæ quadantenus subventurum, tum tædio: si primo in frontispicio præfigurarẽ lectori; quid unis alterisvé pagellis exspectaret; unde inciperet; quo loco pausam, pro libitu, faceret. Præstiti ergo, quod præstitisse plures in aliorum scriptis; nec propterea convitio adeò vapulasse, animadverti; quanquam inter tot Semicatones

Est facilis cuivis rigidi censura cachinni.

Nimirum capitib. certis discriminavi res differentes, quantùm fieri potuit: ut cognatæ apparerent faciliùs, & synchronismi. At priùs, quàm illud conarer: universum opusculum in quatuor libros dispescui, pro quatuor summis imperiis: nihil hoc loco moratus, quod, ingenii quadam confidentiâ, adversus receptam interpretationem Danielis Prophetæ, novatores inferunt. Cæterùm ut haberent Historiæ

Cic. 2. de Orat.

Thucyd. lib. 1.

Iuvenal. Sat. 10.

tyrones, (his enim maximè operamur) unde res gestas in succum sibi discerent sanguinemq; convertere: margini regulas adscripsi varias; ad quas, ceu locum communem, quod factitandum suprà dixi, res gesta referretur. Eas potiùs decerpendas putavi ex priscis autoribus, parentibus & magistris sapientiæ; quàm recentioribus: qui sua ex veteribus, si quid habent nervi aut amœnitatis, plerunq; transcripserunt. Equidem nostræ ætatis hominibus nihil derogo: quòd ipsi quoq; naturam habeant benignè ingeniis suis obstetricantem. Vicissim tamen & hoc mihi concedet æquus rerum æstimator: habere antiquitatem nescio quid majoris sanctimoniæ, dignationis, majestatis. Nam & vetus vinum plus juvat sapientes; quàm mustum, dulcedine suâ blandiens palato; sed fecibus & amurcâ usq; eò permistum: ut non raro ventriculum cum intestinis subvertat. Ex quibus omnibus vel mediocriter intelligenti patet: quid sit; quod libellum hunc Theoricum simul atq; Practicum putavi inscribendũ. Tale quid puto aut non multùm absimile ab ipso Autore fuisset procusum: nisi mors, quæ nihil præclarum diurnare ĩnit, terræ eũ invidisset, præripuisset. Tibi verò GENEROS, BARO nuncupare libellum hunc volui: ut meam in Te observantiam, quæ & summa est, & sine fallaciis, non jam testarer privatis tantùm literarum alloquiis; quæ inter nos instituimus hactenus frequentissima: sed publico etiam monumento magis magisq; oppignerarem. Accedebat huc; quòd spem sperabam: Tibi isto modo concinnatum Glaserum in delitiis futurum esse, vel eo nomine: quòd ab extrema usque pueritia nõ delectatus tantùm eo, sed quasi innutritus fuisti. Simulatq; enim Latinæ linguæ prima jeceras fundamenta; post sedulum pietatis & ὀρθοδοξίας studium, nihil habuisti antiquius; quàm, sicut nautæ solent priùs

Propert. —— *ê tabula pictos addiscere mundos:*

ita

ita Tu hoc ipso compendio adducereris * πρὸς τὴν συμφέρτην σοφίαν, πολλῶν τε καὶ πάντων νῦν: quo modo Gregorius Nazianzenus in laude Historiæ delitiatur. Sapiens tum profectò, ut semper, ILLUST. DN. PATRIS TUI consilium fuit! Quæ enim spes sapientiæ illucescet solidæ, in generoso præsertim adolescente; si, in spem generis & Reipub. educandus, hærebit subinde in spinosis argutiis inferiorum artium; quibus sermonem excoli volunt, & linguam effici volubilem ad nescio quas disputationes? Pretiosior linguâ est animus; qui nisi â teneris ungviculis præparetur ad utilissimarum rerum doctrinas: quid erit aliquando viri facti oratio aliud, nisi mare verborum, mentis gutta? annon ab illo extundentur dictiones aridæ, jejunæ,

* ad accumulatam sapientiam, multorum atque omnium animum.

——— *inopes rerum, nugaq; canoræ?*

Horat. in art.

Ad Bonæ Mentis ergo Sapientiæq; templum â pueritia traducamur; sed viâ quadam clementi atq; amabili. Quid autem facilius amœniusq; doctrinâ Historicâ? Ejus hæc est prærogativa: ut, dum leni dictione illabitur in aures, in animos quoq; sine ulla offensione descendat; & mera cum jucunditate insidens, ea inculcet; quæ acris & supercilliosa philosophi oratio vix imprimat. Mentis enim excitat eam attentionem: ut â se quasi discedens, non audire res gestas, sed videre; non abesse iis, sed interesse videatur. Si in Historia versatur sacra: cum Adamo spatiatur in paradiso: obtruncat cum Davide Goliathem: cum Salomone de cedro Libani usq; ad hyssopum muralem disputat. Si Ethnicorum annales replicat; cum Cyro rusticabitur inter pastores: cum Alexandro philosophabitur: cum Diogene sedebit in dolio: cum Cæsare triumphabit. Sed tu fortean, ILLUST. DOMINE, jure quodam Tuo â me exiges, quod voluisti hactenus, Florilegium meum Historicum: cujus partem maximam â me accepisti prælectionibus domesticis; cùm Basileæ unà essemus, in luce doctissimorum hominum: ê quibus interim

terim explerunt mortalitatem (at quanti Viri) Polanus, Platerus, Zwingerus, Coccius, Iustus, Leo, alii. Equidem nihil habebo unquam in reculis meis; quod vel Tibi negare ausim, vel Reipublicæ: cui nos nostraq; omnia jure meritissimo debemus. Mihi verò in hoc fœtu edendo opus est culturâ: & imitāda ursi indoles, qui deformia catuli membra, informia non dixerim, lambendo perficit. Quanquam ubi omninò maturuerit hic fœtus meus; ut cum Bona Levana in publicum prodire posse videatur: quid est, quod â me aut novum, aut indictum anteà proferri queat? In aliis scientiis luxuriare potest igneum hominis ingenium: & vel comminisci novas opiniones: vel excogitatas â majoribus, recenti argumentorum apparatu, & novis quasi flosculis, convestire. In Historiâ nihil tale licet: nisi pulcherrimi animantis oculos effodere, hoc est, veritatem eliminare velis, &

Polyb. init. hist.

——— pugnantia secum
Frontibus adversis componere.

Horat. lib. 1. Sat. 1.

Adeò in illa, cum Socrate, si ullibi, eadem dicenda sunt ac iisdem; ex autorum fide atq; præscripto: quia veritas una est & uniformis: quia res olim factas, vel infectas reddere, vel alio modò refingere, nemo mortali seminio natus poterit. Nisi illud fortassis in aliquo numero habeas: quòd Universalem Historiam in compendium eo concinnavi ordine: ut memoriæ juvandæ ergò & libri & capita, typo quodam ac tabellâ oculis objici animoq; uno quasi intuitu queant. Id enim non minùs placere video, quàm prodesse plurimis; qui fabularum involucra explicantes, Iovis igniculum, ê cælo delatum â Prometheo, nihil significare aliud volunt; nisi methodum, appositè docendi quælibet, dicendi, agendi. Sed mea illa, ne quid mihi blandiar, crudiuscula adhuc sunt: tempore egent, quæ usui publico fieri apta debent. Te interim, MAGNIF. DOMINE, dum Florilegium meum sereniori Favonio excolatur, submissè rogo; ut Synopsin hanc, pro

Horat. 1. carmin.

tua

tua in me incredibili benevolentia, benignè accipias. Sed & contendo abs Te; patiaris nō modò esse monumentum hoc officii, quod Tibi debeo, semperq; debebo: sed symbolū quoque quindecennalis nostræ consuetudinis; pietate, religione, fide, bonarum deniq; literarum commerciis, ut cœptæ, sic corroboratæ. Ego certè illud in magna parte felicitatis meæ pono: quòd peradolescens cùm esses, in aliquam tuæ institutionis partem consiliumq; adscitus fui. Unde illud consecutus sum; ut præcipuo quodam amore complexus me fuerit, hodieq; prosequatur ILLUST. DOMINUS Parens Tuus: quem si patriæ appellem Hesperum, pietatis exemplum, religionis vindicem, perfugium doctrinæ, sapientiæ asylum, portum consilii, decus nobilitatis, delitium deniq; omnis virtutis: minùs dixero, quàm dignitas ejus autoritasq; postulat. Apsim enim dicere; si Poëtæ veteris seculo vixisset: interrogaturum eum fuisse:

——————— *nōnne decebit*
Hunc hominem numero divûm dignarier esse? — *Lucret. lib. 5.*

Novit, quæ dico, universa Cæsaris aula, cui fidem prudentiamq; suam consiliis adprobat: novit Bohemia, quæ in ejus veneranda canitie, illiq; conjuncta & gravi & amabili dicendi agendiq; dexteritate, sæpè præsidium in rebus arduis quæsivit, invenit: noverunt idem exteri: dicendum quippe est; ipsi etiam Turcæ, in quorum aula gloriosè vixit quadriennium, modestiâ juvenis, prudentiâ jam tum senex. Cujus dum Tu vestigia premis; exprimis etiam perinde ingenii dotes, atq; corporum lineamenta pictores solent: quis Te non hæredem, tanto Patre dignissimum, prædicet, Tibi gratuletur, adturgat: Quod si felices putentur, quibus DEI munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda: felicissimi verò quibus utrumq; contigit: horum certè in numero & suis operibus literariis, & aliorū esse poterit idem DOMIN. GENEROSIS, Pater Tuus: quem sæpiùs, at non nisi venera- — *Plin. lib. 6. epist. 16.*

(b) tionis

tionis ergò appello. Circumfertur jam Anti-Alcoranus ejus, ab eo nuper mihi transmissus: ex quo ingenium autoris, pietas, religionis zelus, judicii acumen, quasi cervus ex impresso vestigio, eminet atq; apparet. Utinam ille perinde in lucem proferat, quæ domi jam diu premit, scripta pietatis plena; Reipublicæ, patriæ, addo & Ecclesiæ futura ornamento commodoq;. Equidem fatendum, quod res est: cùm superiori anno vobiscum essem, benignissimè habitus liberalissimeq;: oculis tum usurpavi meis ejusdem ILLUST. DN. Parentis Tui Historiam, incomparabili ipsius industriâ ad umbilicum ferè perductam. In illa, vera dixerim, sapientissimus Baro Nestoreâ quadam dignitate, non minori fide, ex archivis, comitiorum recessibus, probæ notæ instrumentis, propriâ quoq; rerum administratione, literis memoriæq; prodit; quæ facinora insignia per Bohemiam, à Constantiensi Concilio ad hanc usq; tempestatem in Republica, in Ecclesia acciderint. Dignum profectò opus; quod à tam Illustri Autore lumen capiat; cujus flammæ refundantur in universam non modò patriam, sed Ecclesiam quoq;, quæ eadem est ubiq; & communis omnium gentium. Atq; utinam bono publico quamprimùm nascatur maturrimus iste fœtus! Etsi enim, ut undiquaq;

Ovid. 1. rem. ——— *perflant altissima venti,*

sic impudentissimus quisq; in eum stringit & exasperat virulentiæ suæ, sive linguam, sive calamum: quem & doctrinâ, & sanctimoniâ, & splendore generis communem hominum sortem excessisse videt: vicissim tamen, quæ ab Illustris Ordinis scribuntur Viris, majores aculeos in bonorum animis relinquunt. Bonorum appello animos. Quid enim cum portentis illis facias; quibus nemo talo recto consistere potest? qui vel ex purissimo DEI verbo odorē mortis ad mortem eliciunt: planè ut cantharides venenum exsugunt; etsi lætissimis frugibus, florentissimisq; rosis incumbunt. Hos furiis suis sinendos esse statuarius. Quis enim

1. Corinth. 2. v. 16. Plutarch. & Plin. lib. 11. cap. 35.

Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte ruborem.

Iuvenal. Sat. 13.

Habet verò hoc proprium magnitudo animi, quâ vos geniti Heroum sanguine excellitis: nihil ad applausum, omnia ad conscientiam referre: recteq; facti gloriam, non ex sermunculis vilissimorum hominum, sed ex ipso facto petere. Paucis itaq; placere, & bonis, * ὅτι οἱ πλείονες κακοὶ, scitum esto: palmarium verò; de talento suo conferre ad commune bonum, etiam ingratis; quantum quisq; per vireculas valeat. Hoc Tuum fuisse semper votum, GENEROS. BARO; tam certò novi, quàm me novi. Utq; ejusdem voti apicem, pari dignatione, pari felicitate possis contingere; DEUM, largitorem omnis boni, quantâ possum animi sinceritate, veneror: ut te florentem diu conservet, Te sospitet, cum generosissimæ familiæ tuæ reliquiis: cui ego, quidquid ex me proficisci dulce potest utilêve, præstino;

* quia plures sunt mali.

——————— * εἰσόκ' ἀϋτμὴ
Εν στήθεσι μένῃ, καὶ μοι φίλα γόνατ' ὀρώρῃ.

* -- dum spiritus In pectoribus maneat, & mihi caragenna moveantur. Homer.

Vale. GORLICI an. CIↃ. IↃ CXV. die XXIIX Ianuarl: quo, ante octingentos annos, pleuritide extremum diem obiit CAROLUS MAGNUS: Germaniæ Phœnix, alter Romulus & Lycurgus: cui cœnanti res gestæ antiquorum prælegebantur: ne, dum reficeretur corpus, anima nihil haberet; unde quasi illustri magistrâ prepararetur ad fortunę vices perferendas.

Eginard. in Vit.

Polyb. init. histor.

PHILIPPI GLASERI
PRÆFATIO.

Cùm duæ potissimùm Historiæ tradendæ viæ reperiantur: una, quâ Imperii ac gentis cujusq; principia, res gestæ, progressiones, mutationes atq; interitus, à primordiis ejus justâ serie, ad exitum usq; tanquam à capite ad calcem, separatim, unoq; tractu commemorantur: Altera, quâ eadem hac κ̃ συγχρονισμὸν, juxta temporum seriem, & personarum, locorũ aliarumq; rerum concursum, simul & conjunctim tradunt: placuit in præsentiarum, hâc posteriori viâ uti: & bonâ fide, ut quæq; in Mundo res cœperint, creverint, mutarint, desierint diversis vicibus κ̃ διαστάσεων καθ̃ ἕκαστον, & secundùm temporũ, locorum, hominumq; (præsertim magnatum atq; potentũ) circumstantias, strictim καὶ ὡς ἐν συνόψει exponere, oculisq; studiosorum subijcere. Ne autem ingressi rerum hoc immensum Pelagus, confestim magnitudine illarum multitudineq;, quasi fluctib. quibusdam objectis, vel incerti agitemur: vel à portu cognitionis optatissimo turpiter aberremus: vel penitus etiam naufragium miserè faciamus: Cynosuram quandam nobis statuemus, secundùm quam navigationis nostræ cursum, per orbem terrarum dirigentes, felicem ejus successum, sinemq; sine tadio reperiamus. Ea verò sit Chronologia sive temporum qualiscunq; notatio atq; divisio: in quibus Dominatus ac Dynastiæ quæq;, Regna item, Imperia, Req; publicæ partim constituta, partim mutata, partim perditæ fuerunt: in quibus item omnia ea contigerunt, gestaq; sunt quæ nomine Historiæ à Sacris & profanis Scriptorib. nobis sunt tradita. & quæ ignorare, est semper puerum agere, vitamq; hanc in tenebris & perpetuâ caligine rerum gestarum gerendarumq; transigere. Est autem Chronologia (ut vulgò constat) varia, & multùm inter se discrepans: dum aliter Epochas, Æras, sive summa temporũ momenta considerãt Ecclesiastici scriptores, aliter Historici, aliter Mathematici: & hi omnes inter se, ac propè singuli δισδιαπασῶν differunt. Ut igitur in Narratione hac, sic satis copiosâ ac varia, non impingamus alicubi: duo tantùm simplicissima tempora, quasi duas metas, ante oculos nobis constituemus; ad quas subinde nostra respiciat peregrinatio. Una sit meta temporũ priorum, quæ à condito Mundo, usq; ad Christi Servatoris nostri in carnem adventum elapsa sunt, annorum videlicet triũ millium nongentorum sexaginta & septem: Altera meta sit temporũ posteriorũ, ab ejusdem σωτῆρος Nativitate, ad hoc usq; præsens seculũ millesimũ sexcentesimũ in quo degimus, & in quo gloriosum ejus in nubib. redituũ expectamus: qui utinã nobis piisq; omnib. brevi exoptatus & salutaris appareat!

Iamq; ingressuris adsis, bone CHRISTE, rogatus:
Vt videat portum tuta carina suum.

SYNO-

SYNOPSIS HISTORICÆ, THEORICÆ ET PRACTICÆ

LIBER I.

DE REBUS ANTE MONARCHIAM ASSYRIORUM ET IN EA GESTIS, DEQ; SYNCHRONISMIS.

CAPUT I.

DE CREATIONE MUNDI, ET PRIMORUM PARENTUM, EORUNDEM ETIAM LAPSU ET REDEMPTIONE.

PRINCIPIUM Mundi 1. Die Mēsis Abib, qui respondet 21. Aprilis D. Solis secundum Theologos.

PRincipio (si modò dicendum principium; quòd nec dum erat principium, nec tempus, nec creatura: sed DEUS *sempiternus, solus omnia in omnib.) creavit idem summus ac præpotens* DEUS, *unus in essentia, trinus in personis, liberâ suâ voluntate* (a) *immensâq; sapientiâ, universam hanc machinam, quam mundum dicimus, cœlo, terrâ, mariq; comprehensam, ex nulla subjecta materia spatio sex dierum: septimum verò diem ad hoc creationis, omniumq; in ea beneficiorum memoriam recolendam atq; conservandam simul & quietis causâ sacrum esse jussit. In his cùm etiam*

(a) *Mundus est schola cognoscēdi Deum, & liber scriptus, indicans gloriam Dei occultam.* Basil.

finxisset ad similitudinem suam ADAMUM, *sive hominẽ è limo terræ, mentemq; ei divinam*(b) *indidisset; collocavit ipsum in amœnissimum fœcundissimũq; hortũ* PARADISI: *& rerum omnium, quæ in mari, in terra, in aëre jam vivebant, Dominũ & administratorem constituit: qui etiam productis ad se dissimilib. omnium animantium generibus, singulis Naturæ suæ convenientia nomina imposuit: ipse interim sui simili atq; compare carens. Proinde somno oppressus, ortam ex se, mirabili* DEI *opificio,* HEVAM, *adjutricem & conjugem accepit: cumq; ea permixto sexu genus hominum propagare jussus, solenni ritu conjugij, eidem à* DEO *copulatus est.*

ADAM.

Paradisus.

Dominia rerum.

Nomina omnium creaturarum.

HEVA.

Interim malignus, (c) *invidus ac criminator Spiritus Sathan, ob superbiam cœlo pulsus, arreptâ occasione nocendi & agrè faciendi tam* DEO, *quàm Homini: fœminam, imbecilliorem ex his primis parentibus nostris,* HEVAM, *videlicet sub specie serpentis, blandè astuteq; aggressus est, & persuasit: ut spe melioris sortis planeq; divina, de vetita in Paradiso Arbore, boni & mali intelligentiam habente, pomum decerperet atq; comederet: cui tamen esui certa mors à* DEO *pessimaq; vitæ conditio erat proposita & palàm denunciata. Obsequuta est misera: & (ut malum mali ferax est) non quievit: donec ad eundem lapsum, & ad idem cõtemptus ac inobœdientiæ scelus erga* DEUM OPT. MAX. *maritum quoq;* ADAMUM(d) *impelleret. Quo facto cùm parentes ambo nudos sese protinus deprehendissent; pudore verecundiâq; moti, latebras ac tegumenta ex foliis fici corpori quæsiverunt: quæ* DEUS *pelliceis tunicis à se paratis, postea commutavit; & in signum reatus gestare jussit nudos mortales. Porro* DEUS *graviter offensus inobœdientiâ isthac:* HEVAM *quidem ad per-*

SATHAN Serpens.

Astus ejus.

Lapsus primorum parentum.

Vestes signũ reatus nostri.

Fons miseriæ humanæ.

(b) *Se considerare Solumus, qua sit in natura hominis excellentia & dignitas: intelligemus, quàm sit turpe diffluere luxuriâ.* Cic.

(c) *Invidia Vitium diabolicum, quo solo diabolus est rem, & inexpiabiliter rem.* Augustinus.

(d) *Tribus gradibus ad peccatũ pervenitur; suggestione, delectatione, consensione.* Augustin.

perferendas partus molestias, imperiumq; mariti, damnavit: ADAMUM *verò ad sustinendos in victu comparando, cum sudore labores destinavit: utrumq; Paradiso pulsum, ac definito misera vita* (e) *tempore, in terram maledictam ejecit: unicâ spe salutis in futuro semine mulieris,* CHRISTO *servatore nostro, relictâ: idq; primo anno Mundi conditi, die sextâ, vel in Sabbatho secundo h. e. die 14 Mensis primi, ut quidam sciptores Theologi elegantissimis rationibus, verisimile reddunt.*

Prima promissio de CHRISTO Messiae.

(e) Οὐ μὲν γὰρ τι τῶν ὄστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς Πάντων, ὅσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.
Non enim quidquam aliquibi est aerumnosius homine Omnium animantium, quæ super terram spirantq; & serpunt.
Homer.

CAPUT II.

DE GENERIS HUMANI PROPAGATIONE, DISTINCTIONE, ET CONSTITUTIONE ARTIUM AC DISCIPLINARUM.

AB his initijs universum genus mortalium longissimâ postmodum serie propagatum est, per Protoplastas illos primosq; parentes nostros: qui obtemperantes mandato de sobolis procreatione, anteà in Paradiso dato, naturaq; humana insito; susceperunt primùm duos filios, CAINUM & ABELEM: *quos de* DEO, *de operibus ejus, de tristi lapsu suo, deq; promisso Messiah, & Servatore Mundi haud dubiè* (a) *fideliter instituerunt: sed ut diversis studijs, ita etiam ingenijs animisq; discrepantes Filios experti sunt. Nam improbus* (b) *ille* CAIN *agricola, eques & politicus, hunc* ABELEM *optionem, probum, innocentem, pium, studiosum, ex mera invidia necatum, in agro Damasceno sacris operan-*

Propagatio generis humani.

CAIN & ABEL.

Institutio domestica.

Agricultura. Pecuaria.

Homicidium primum.

(a) Μακάριον ἐστιν ὑὸν εὔτακτον τεκέσθαι
Mortalis est cui filius felix pater Mondd.

(b) Παῦροι γὰρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ τέλονται:

rantem, sustulit: quod primum fuit homicidium, circiter annum Mundi, sexagesimum, vel, ut alij volunt, centesimum à Caino perpetratum, & fons dissidij: quo hactenus universus Mundus quasi inundans laboravit, & quo tandem perire eundem necesse est. Cainus hac cæde commissâ, profugus à conspectu suorum factus, perpetuo tremore capitis & conscientiæ, (c) ceu furijs quibusdam exagitatus, arreptis secum sororibus, & ipse sobolem procreavit; primumq; oppidum Henoch, de nomine filij Henoch condidit: eo loco, ubi post Babylon stetit. Eum secuti sunt Jrad, Mahujael, Mathusael, Lamech & cæteri nepotes, qui patris imitati (d) malitiam & ipsi hostes piorum facti, omnibus sese vitijs sceleribusq; polluerunt: utpote Lamech, qui præter cædem geminam Prophetarum, quam patravit, primus Bigamiam *induxit contra legem* DEI *connubialem, & ex Ada procreavit Jabel & Jubal: ex Zela Tubal Cain & Naëma filiam: quibus tamen inventio plurimarum artium & opificiorum (e) Mechanicorum debetur: ut Musicæ Jubal: unde adhuc Jubitandi verbum: Jabel Tentoria pastorum: Tubal Cain fabricæ æris & ferri: lanæ & lini vestiumq; præparatio Naëmæ, alia alijs: quæ Græci ad suos Panes, Apollines, Vulcanos, Mercurios, Pallades & cætera fictitia Numina, pro vanitate sua transtulerunt. Et jam elapsus erat Annus Mundi centesimus trigesimus: ubi inter varios labores & sobolem multam, nascitur primis parentibus, Filius* SETH *pietate (f) in* DEUM *& vitæ integritate,* ABELIS *interfecti vices subiens. Hic traditam à parentibus (g) disciplinam de Creatione Mundi, de Astrorum motibus, de literarum studijs, de vero* DEI *cultu, de Politia publica & privata, de promissione Evangelij cæterisq; rebus, constanter tenuit,*

An. M. 60. vel 100.

Caini pœna.

Henoch primum oppidũ.

Caini liberi.

Lamech Cainita.

Primus Bigamus.

Artium Mechanicarum inventio.

Anno Mundi 130.

SETH.

Doctrina Ecclesiæ.

Οἱ πλέονες κακίοις, παῦρι δὲ τι πατρὸς ἀρείοις.
Pauci enim filij similes patri sunt: Plerique priores: pauci verò parentibus meliores. Hom. ὀδυσ. ε.

(c) *Heu quantũ pœna misero mens conscia donat!* Lucan.

(d) Κακὴ κορακὸς κακὸν ᾠόν. *Mali cervi malum ovum.* Proverb.

(e) *Non sunt cõtemnẽda quasi parva: sine quibus magna constare non possunt.* Hieronym.

(f) *Prima & optima rerum natura pietatis est magistra.* Valer. Max.

(g) *Non minus pium est, decere ani-*

Bonæ artes & disciplinæ.

nuit, auxit, conservavit: adeò ut DEO *ipsi benedicenti complures electi sanctiq; patres ab eodem longè lateq; proseminati fuerint: ut Enos Sacerdos, Kenan, Mahalaleel, Jared, Mathusalem longævus, qui numerum annorum nongentorum sexaginta novem complevit: Itemq; Lamech &* ENOCH *ille, quem ob singularem pietatem vitaq; sanctimoniam,* DEUS *vivum è terris ad se in cœlos transtulit.*

ENOCH in cœlum vivus translatus.

mum scientiam, quàm prabere escam corpori. Bernhard.

CAPUT III.

DE DILUVII CAUSIS, PROGRESSU, EVENTU.

Anno Mundi 931. Mors Adami. Sanct. patr. Interitus Caini. An. M. 931.

INterea, defuncto jam vitâ primo patre ADAMO, *circiter annum Mundi nongentesimum trigesimum, mixtis multiplicatisq; inter se familijs, sublatis quoq; multis alijs sanctis patribus: ipso etiam impio Caino ruinâ* (a) *adium oppresso, Anno Mundi 931, genus hominum ut numero, ita quoque malitiâ mirum in modum crevit: adeò ut etiam piorum Patriarcharum liberi à Cainitis seducti matrimonia cum illis junxerint; & Gigantes, contemptores* DEI *& hominum, propter robur corporis & externam potentiam procreârint: velut Ixion Centauros ex nube caliginosa; qui sceleribus suis* DEUM *ipsum & Ecclesiam, quasi congestis montibus, deturbare suis sedibus conati sunt. Proinde* DEUS *irâ justissimâ accensus, immissâ universali eluvione, cuncta animantium viventiumq; genera funditus perdidit: solo excepto* NOAH *Lamechi filio, viro* (b) *justo & integro, qui cum 120 totis annis mortales ad pœnitentiam*

(a) *Raro antecedentem scelestum Deseruit pede pœna claudo.* Horat.

NOAH. Vxor ejus Sybilla sive Thytea.

(b) ἐθλῷ γὰρ ἀνδρὶ ἐθλὰ καὶ διδοῖ θεός.

Bona Viro etenim dat Deus, quæ sunt bona. Menand.

tentiam cohortatus fuisset laboriosissimè, futurumq; diluvium annunciasset, tandem consilio DEI *exædificatâ arcâ, sub tempus eluvionis ingressus eam, cum uxore Tytea sive Sybilla tribus filijs, eorumq; conjugibus, delectis simul animantium, cujusq; generis paribus, salvus atq; incolumis evasit: Arcâ in montibus Armeniæ altissimis requiescente, exitumq; lætum* DEO *concedente, post annuum spatium: atq; ita* NOAH *generis humani alter parens atq; instaurator factus est: verè Janus ille bifrons, qui ante & post diluvium Mundum vidit: Anno à creatione millesimo sexcentesimo, quinquagesimo septimo & octavo.*

Arca Noha.

Diluvium universale.

An. M. 1657. & 1658.

CAPUT IV.

DE NOHÆ POSTERIS, ET INTER EOS TOTIUS MUNDI DIVISIONE.

HIc NOAH, *recepto omnium rerum dominio, & restitutis à* DEO *omnibus ordinibus in integrum, Oeconomico, Politico & Ecclesiastico, sacris postmodùm factis, cultum* DEI (1) *instauravit: mandatum de amplificatione generis humani complevit: cælestem quoq; arcum, testem fœderis icti cum summo Deo, nullâ deinceps eluvione hominum genus peituruum, ex singulari gratia conspexit. Posthæc convertit se cum filiis tribus* SEM, CHAM *&* IAPHET, *eorumq; liberis ad agriculturam: ad plantandum vineam ad carnes ejus humano præparandas: ad domos extruendas: urbes condendas: artes liberales tractandas, & ad alias in vita ope-*

(2) *Sola religio homines à bestijs discernit; quam qui non admisit, alienus est à natura hominis: & vitam pecudum sub humana specie vivit.* Lactant.

Restitutio totius Politiæ Mundi.

Iris cælestis.

SEM, CHAM, IAPHET.

Vineæ plantat. Eius cultui.

Artium liberalium instauratio.

ta operas artesq; necessarias: cùmq; aliquando ebrius factus è vino, dormiens, ac (b) *denudatus genitalia, rideretur à filio* CHAM; *indignatus hac impietate, eundem Japeto, Semoq; fratribus, mutatâ conditione, servire voluit: interim ipse pro vini autore Jano & OEnotrio à cunctis habitus. Jam enim Hebraïs, ut Græcis* Οἶνος, *vinum significat. Circa tempora illa nascitur ex Heber (qui Hebraïs nomen dedit) filius Peleg: in hujus diebus mundi divisionem in suos fecit* NOAH: *ut sacræ literæ testantur. Etenim is, cùm hominum ingentem multitudinem ex se filiisq; prognatum cerneret, & benedictionem in semine suo promissam consideraret: nec dum amplius provinciæ, quam tenebant, alendis omnibus sufficerent: orbem terrarum in tres distribuit partes, pro filiorum numero, singulisq; suam* (c) *habitandam concessit: & Semo quidem Orientem, h. e. Asiam tribuit: Chamo Meridiem, sive Africam: Japeto, Occasum & Septentrionem, sive Europam: ut successione temporis singuli cum suis, plagas sibi attributas inhabitarent: quod & postea factũ est. Nam ex liberis illis* NOAH *eorumq; posteris infiniti propemodum populi propagati, & regna innumera per orbem deinceps constituta fuerunt: utpote à Japeto & ejus filiis descenderunt in Occidente & Septentrione, Cimbri, Thraces, Tartari, Medi, Græci, Latini, Germani, Itali, Dani, Scythæ, & in universum (si Judæorum traditionibus credere volumus) populi ducenti. A Chamo, Cananæi, Aethiopes, Aegyptii, Numidæ, Mauri, & in summa gentes trecentæ nonaginta quatuor in meridionali plaga ortæ sunt. A Semo Orientales populi, Hebræi, Assyrii, Chaldæi, Syrii, Persæ, Armenii & omninò familiæ quadringentæ sex deductæ sunt. Sequentibus temporibus mortuo Nohâ, ætatis suæ anno nongentesimo,*

Impietas CHAMI.

Janus Oenotrius verus.

An. M. 1758. Peleg.

Mundi totius distributio.

Oriens, Asia, Meridies, Africa. Occasus & Septentrio, Europa.

Venter mero æstuans citò spumat in libidines. Hieronym.

(c) τὸ συζῆν καὶ κοινωνεῖν τῶν ἀνθρωπικῶν πραγμάτων χαλεπόν. *Conversatio & communitas rerum humanarum omnium difficilis est.* Aristot.

mo, quinquagesimo, terrisq; cunctis filiis & nepotibus suis relictis, ut modò dictum est: mox è Chami posteritate prodiit impia (d) *ac perversa soboles, quæ duce* NIMRODO *in alias gentes imperium tyrannicè affectavit, turrimq; stupendæ magnitudinis, cum urbe extruere cœpit: cui Deus sermonis linguarumq; confusionem* (e) *immisit: ita ut extruentes, cùm se invicem non intelligerent ampliùs, turpiter ab instituto opere desciverint: & dissipati per orbem variis eundem linguis infecerint: ipsi loco, populoq; nomen Babel, h. e. confusionis relinquentes: Nimrodo eorum duce subitò disparente; nec inter mortales viso ampliùs.*

Chami posteritas.

NIMROD.

Turris Babylonica.

Linguarum confusio.

BABEL.

An. M. 1788.

(d) *-- Redit ad autores genus; Stirpemq; primâ degener sanguis refert.* Sen.

(e) τὰ πολλὰ πολλμᾶν, πολλὰ ἁμαρτάνειν ποιεῖ. *Audere multa, multa nos labi facit.* Menand.

CAPUT V.

VITA ET RES GESTÆ ABRAHAMI ET LOTHI, CUM EXCIDIO SODOMÆ ET GOMORRHÆ.

QUemadmodum autem Chami posteritas à vera & avita religione statim descivit, & in UR *Chaldæorum, quæ hodie est* Orchoë, *ignem sacrum (Orimasda dictum) coluit, rejectâq; patriâ potestate ac veneratione traditionum, vi & armis* (a) *homines alios ad obœdientiam coëgit: Ita Semi soboles, quæ habitavit in Salem (postea Jerusalem) verum* DEI *cultum retinuit, & eundem cum bonis literis propagavit: maximè autem Hebræi, qui ab Heber filio Salah, nomen acceperunt. Heber autem inter omnes patres sanctos post diluviũ vixit diutissimè, annis videlicet 464. Ex hujus Prosa-*

SALEM.

Hebr. Heber.

(a) *-- cedit viribus æquum: Victaq; pugnaci jura subense jacent.* Ovid.

Prosapia fuit etiam Tharah pater ABRAHAMI, *qui anno mundi 1949. hunc filium genuit in* UR *Chaldæorum, & in media Nimrodi Idololatria atq; Tyrannide. Tunc temporis misertus* (b) DEUS OPT. MAX. *Ecclesiæ suæ, cùm decrevisset Abrahamum patrem facere omnium credentium, primò eum ex* UR *Chaldæorum cum patre Tharah, uxore Sara & Lotho patruele vocavit in Haram Mesopotamiæ; ubi mansit quadriennium. Hinc amandavit eum in terram Canaan, ubi primum in Sychem, postea in Bethel, sedem rerum suarum fixit Abraham. Inde pulsus fame profugit in Ægyptum: ubi in periculum* (c) *non leve incidit, propter raptam à Pharaone Sarah uxorem. Reversus inde migravit in Hebron; & ibi agrum emit pro sepulturæ loco sibi suæq; familiæ. Vixit quoq; in Dan & Gerar non sine periculo magno, ob raptam uxorem ab Abimeleco rege Gerar: sed Deo vindice evasit, ac conjugem inviolatam recepit. Fuit autem dives ac potens Abraham: adeò ut jam olim coactus sit secessionem facere à Lotho patruele, cui terram ad flumen Jordanem concessit, & quem in bello Assyriorum contra Reges Sodomæ ac Gomorrhæ captum, liberavit: oppressis Assyriis in Phœnicia, & recuperatis* (d) *omnibus spoliis manu trecentorum & octodecim adolescentum: quo nomine ei Melchisedech Rex justus in Salem (quem Patriarcham* SEM *fuisse putant) benedixit, & ipsum unà cum exercitu, pane vinoq; refecit. Circumcisio quoq; membri virilis à Deo mandata fuit Abrahamo: ut esset commonefactio de futuro semine ac sobole* MESSIAH, *servatore mundi: quâ post Judæi omnes usi sunt, eoq; ceu signo ab omnibus populis aliis discriminati. Famosæ tunc erant ad Jordanem urbes 5. Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, Zoar, quas propter immanissima*

ABRAHAM.

Haram.

SARA.

Jordanis flu.

Bellum primũ apud Mosen.

Victoria Abrahami.

Circumcisio.

Sodomæ & Gomor. igni cœlitus delætæ.

(b) *Hoc habet proprium Ecclesia: dũ opprimitur, crescit: dum cõtemnitur, proficit: dum laditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat, cùm superari videtur.* Hilar.

(c) *Magno cum periculo custoditur, quod multis placet.* Pub. Syr.

(d) *Iustæ bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias: si gens vel civitas plectenda est: quæ vel judicare neglexerit, quod à suis improbè factum est: vel reddere, quod per injuriam ablatum est.* Augustin.

nissima scelera atq; flagitia Deus horribili exemplo, igne ac sulphure calitùs demissis, (e) *exussit atq; delevit: solo Lotho cum suis servatis ope Angelorum; qui ipsum cum familia de monte in oppidum Zoar deduxerunt; cui etiam Deus propter preces Lothi pepercit. Lacus in illis terris adhuc hodie esse dicitur, pice ac sulphure perpetuò ardens, noxius hominibus & pecudibus: Gracis Asphaltites, seu bitumminosus, Latinis, mare mortuum dictus: in cujus ripa nascuntur quidem poma, racemi & similes fructus extrinsecus speciosi: sed qui ad tactum illicò fatiscunt, & in cineres fumumq;* (f) *resolvuntur. Annus tum erat Mundi 2048. Fuit aliàs Lothus vir pius & justus, patruelis, comes & socius omnium arumnarum Abrahami: Deo ita charus, ut Angelos ipsi duos miserit; qui manibus prehensum è medio periculi cum uxore & filiabus eduxerunt, inq; tuto loco collocarunt: miser in hoc, quòd vidit charissimam uxorem, contrà mandatum Dei ad supplicium Sodomæ respicientem, obriguisse, & in salis statuam, sive perpetuum lapidem, conversam esse, qui hodieq; inibi extare dicitur. Infelix etiam ob id, quòd ebrius factus incestam cum filiabus propriis consuetudinem habuit: Moab & Ammi procreavit, quorum posteri hostes Ecclesiæ & piorum facti sunt, Moabita & Ammonita vocati: unde etiam Lothi in sacris nulla singularis mentio extitit ampliùs.*

LOTH.

Vxor Lothi in salis statuam.

(e) μεγάλων ἀδικημάτων, μεγάλαις καὶ ὑμωρίαις παρὰ τοῦ θεοῦ. *Atrocia scelera, atrocibus pœnis à Deo adficiuntur.* Herodot.

(f) Perinde etiam --- *nulla est sincera Voluptas.* Ovid.

(*)

CAPUT

CAPUT VI.

ISACI, JACOBI ET JOSEPHI VITA ET RES GESTÆ: UBI ET DE HIOBO.

Ismaël. Isaac.

ABRAHAM *porrò ex Ancilla Hagar susceptit filium Ismaëlem, qui Ismaëlitis in Arabia nomen dedit. Ex Sara autem uxore jam annosa sustulit Isaacum; quem puerum tredecim annorum ex mandato Dei in monte Moriah immolaturus, fidem atq; obœdientiam* (a) *suam ita probavit Deo: ut is promissionem de Messiah servatore, ex semine Abrahæ nascituro, ei repetiverit, filiumq; salvũ restituerit; ariete ex vepribus in holocaustum suscepto, Anno mundi bis millesimo sexagesimo secundo.*

Promissio de Messiah.

An. M. 2062.

ISAACUS *pòst felicitatis paternæ successor, anno ætatis quadragesimo jungitur* REBECCÆ *Bathuelis filiæ, quæ post sterilitatem viginti annorum, benedictione Domini, edidit uno partu* ESAVUM, *à quo Idumæi & Arabes provenerunt: &* IACOBUM, *à quo Israëlitæ orti sunt: dissimiles admodum animis moribusquè Fratres. Interim boni parentes exules inter Palæstinos petulantes, omnis generis discrimina subeunt, privatim & publicè: affliguntur à Rege Abimeleco, à pastoribus, h. e. Nobilibus & Regulis provinciæ istius vexantur: mortem vident Abrahami, Semi & aliorum piorum: dissidium ingens experiuntur inter fratres,* (b) *filios suos: donec & ipsi acceptâ promissione de* MESSIAH *servatore ex erumnis suis à Deo eripiuntur.*

Rebecca. Esau. Iacob. Palæstini.

IACOB *autem obtento jure primogenio, cùm vendidisset fratri lentium decoctum, & benedictionem*

Iacob Israël.

(a) *Nõ attendit Petrus obediens, quale sit, quod præcipitur: hoc solo contentus, quia præcipitur.* Bernh.

(b) *Fratrum quoq; gratia rara est.* Ovid.

nem paternam accepisset; fugit fratrem Esauum hostem infensissimum, & ad Labanem perveniens, in Haram Mesopotamiæ: primum Liam, post Rachaëlem filias, jure servitii annorum viginti, ab eo obtinuit. Rediens postmodum cum suis ad patrem, superatis maximis difficultatibus, & Israël dictus: eò quod luctatus esset cum filio Dei (qui olim quoq; cælos ei aperuerat, & per scalas angelos ascendentes & descendentes monstrârat, repetitâ promissione benedictionis & futuri Messiæ, ex utraq; conjuge sua genuit XII. filios, qui seminarium fuerunt magni illius & felicissimi populi Dei, Israëlitici dicti: cujus historia sacris literis profanisq; descripta est. Inter illos fuit & IOSEPHUS, *optimâ indole, cæteris fratribus* (c) *invisus: quòd eum Patri Jacobo charum & magnum aliquando inter ipsos principem futurum animadverterent. Hic indignè aliquandiu habitus à fratribus, captus & in foveam demersus, mercatoribus divenditur in Ægyptum. Reliqui interea liberi varias molestias patri Jacobo crearunt. Vix enim ille avaritiam & invidiam Labani soceri effugiens, & Esavo fratri reconciliatus, cùm in terram Canaam venisset: Dina filia ejus impubes adhuc à Rege Sichem stuprata est; unde ingens laniena* (d) *per Simeonem & Levi fratres inter Sichemitas excitata. Post Ruben filius incestâ consuetudine cum noverca Bilha sese polluit. Judas (à quo Judæi gens numerosissima) itidem incestuosi concubitus habuit consuetudinem cum nuru sua Thamar: Rachel uxor suavissima ex partu extincta: fames denique superveniens penitus miserum Patriarcham in Ægyptum cum filiis ejecit. Ibi offendit diu desideratum filium* IOSEPHUM, *qui posteaquam duram illic servitutem & captivitatem sustinuisset: tandem post annos 13. ob divinandi scien-*

XII. Patriarchæ.

Israëlitæ.

Dina.

Simeon & Levi.

Ruben.

Iudas à quo IUDÆI.

IOSEPH.

(c) *Nulla tam modesta felicitas est, quam aliquantatus dentes servare possit.* Val. Max.

(d) *Habet omnis hoc voluptas: Stimulis agit furentes.* Boët.

scientiam, (c) *ob civilem prudentiam, morum amabilitatem, cæterasq; virtutes ad summos honores à Pharaone Ægypti rege, evectus est: nec multò post patrem fratresq; injurios, rerum gravi penuriâ laborantes, ad se pellexit atq; sustentavit; populumq; Dei in Ægyptum planè transtulit: mortuum verò patrem Jacobum, cum iis, qui volebant, sedibus avitis reddidit: donec & ipse extremum in Aegypto clausit diem, Anno Mundi 2310. Circa hæc tempora vixisse creditur inter pios, etiam* IOBUS *ille patiens,* (f) *in terra* UZ: *quanquam sint, qui eum Regem Idumæa faciunt, & generum Jacobi, qui filiam Dinan ei desponsârit. Fuit autem pradives & felix: postea rebus omnibus spoliatus, corpore & animo afflictissimus: qua tamen mala omnia, laudatissimâ suâ patientiâ, fide atq; constantiâ superavit.*

Pharao Aegypti Rex.

An. M. 2310. IOB.

(c) Βασιλεία γὰρ ὅτι παιδεία βροτοῖς. *Doctrina baculus dicier vita potest.* Menand.

(f) *Fortiter se gerere in adversis rebus, quid aliud est, quàm sævientem fortunam in adjutorium sui pudore victam convertere?* Val. Max.

CAPUT VII.

DE MONARCHIA ASSYRIA, EIUSQ; REGIBUS, NINO, SEMIRAMIDE, SARDANAPALO.

DUm hæc à piis passim geruntur: impiorum quoq; posteri, diversa per orbem regna constituentes, in immensum creverunt: præcipuè verò Assyrii, Chaldæi sive Babylonii, quorum princeps fuit NINUS. *Hic motus insatiabili regnandi cupiditate, finitimos omnes armis* (a) *lacessivit, per Asiam ad Lybiæ usq; terminos procedens: tandem Zoroastre Bactrianorum Rege Magiæ autore, debellato, multisq; aliis devictis populis, maximum regnum filio impuberi Nino reliquit: quod ab Historicis primum*

Assyriorum regnum.

NINUS.

Zoroaster.

Ninus 2.

(a) *Quum augere opes, aggregare pecuniam, occupare terras possessionibus cupimus, præstare divitiis: justitia formâ exuimus; beneficentiam communè amittimus.* Ambros.

primum summum Imperium seu Monarchia prima dicitur, Anno Mundi millesimo, nongentesimo, quinquagesimo nono circiter constituta. Nini Filii adhuc impuberis vices subiit annis quadraginta duobus, mater SEMIRAMIS, *famosissima per omnem historiam fœmina; quæ per vim ( ) occiso marito, sexum mentita virilem, magnas res in urbe gessit. AEthiopes atq; Indos devicit: ingentibus structuris & ædificiis Babylonem nobilitavit: ut, muris altissimis latissimisq;, hortis pensilibus & aliis miraculis: donec tandem postulans Nini filii concubitum, ab eodem (c) interempta est. Filius post regno positus, luxui, otio atq; ignaviæ totum sese dedidit, rerum gerendarum curâ præfectis impositâ: cujus exemplum imitati nonnulli reges Assyriorum subsequentes (maximè* SARDANAPALUS *trigesimus quintus in ordine) cladem non exiguam huic imperio attulerunt: ut suo loco dicetur.*

Monarchia I. Bibyl. Assyr. Chal. An. M. 1959.

SEMIRAM. Aethiopes & Indi.

Sardanapalus

(b) *Non imbellis tantum, & impar laboribus hic sexus: sed, si licentia adsit, sævus, ambitiosus, potestatis avidus.* Tacit.

(c) *Quacunq; fœmina virum immoderatè appetit; ea virtutibus omnibus januam claudit, & delictis aperit.* Valer. Max.

CAPUT IIX.

DE REGNO ET PRIMIS REGIBUS ÆGYPTI.

FLoruerunt etiam temporibus istis præteritis in AEgypto Caini & Chami posteri, à quibus orti sunt, pastores sive Reguli, quos Hicsos appellarunt & Larthes & Politanos, quiq; Dynastias & regna sua ab An. Mundi 1793 exorsi, ad hæc usq; tempora Pharaonum regum in superiori & inferiori AEgypto, propagarunt: inter quos olim excelluerunt Mizraim, qui totum Aegyptum constituit: & Chus, quem Poëta Bacchum sive Dionysium vocant: & Osiris,

Aegypti Reges.

Mizraim.

Osiris, &c.

& Osiris, cognomento Jupiter Hammon; qui cum uxore & sorore sua Iside (quæ & Juno Ægyptia & Ceres cognominatur) totum ferè terrarum orbem circumivit: justiciam (a) *& pacem constituit; agriculturam homines docuit: Gigantesq; superavit: & Sesostris, qui latè maria navigiis lustravit: & Pharao Amenophis, qui primus Labyrinthos* (b) *extruxit: & Pharao Raëmses, qui Israëlitas longâ servitute pressit: quem multi putant fuisse Busiridem illum, de quo Poëta fabulantur, quòd hospites mactatos comederit. Nam hic Pharao circiter annum mundi millesimum trecentesimum septuagesimum, videns Israëlitas mirum in modum crescere: adeò ut etiam una tantùm tribus Ephraim, ausa sit promissam terram Canaan invadere: inclementiùs eos tractare cœpit, laboribus luti & laterum eos exercens: obstetricibus quoque mandans, ut omnes masculos mulierum Hebraorum infantes vel in partu occiderent, vel in profluentem abjicerent.*

Sesostris.

Pharao Raëmses.

An. M. 1370.

(a) *Multitudo coalescere in unius populi corpus nullâre, quàm legibus potest.* Liv.

(b) *O curas hominũ! quantum est in rebus inane!* Iuvenal.

CAPUT IX.

DE REBUS ISRAELITICIS, DUCTORE MOSE ET JOSUA.

Moses.

EO *tempore natus fuit* MOSES, *ex tribu Levi, patre Amrâ & matre Jochhabet; qui quòd esset elegans puellus, per menses 3. à parentibus est occultatus,* (a) *pòst in arcula arundinea expositus in Nilo, à Pharaonis filia Thermutide ex aquis extractus, & in aula regia enutritus, atq; in omni sapientia Ægyptiorum institutus est, usq; ad annum ætatis 40. Post relictâ aulâ ad fratres Israëli-*

Thermutis.

(a) *Ne te putes posse deficere; sic Deus dignatus fuerit custodire.* Fulgent.

Israëlitas sese conferens, quendam ex illis defendit, occiso AEgyptio: quo facinore propalato fugit in Midiam, ibiq; Ziporam Iethro Sacerdotis filiam matrimonio sibi copulavit. Eo tempore misertus DEUS populi sui in AEgypto, Mosen pascentem (b) *greges in deserto montis Sinai, ex ardente rubo vocavit ad munus legati, & educendi populum ex AEgypto, adjuncto ei fratre Aarone. Hi ergo cùm ad Pharaonem profecti, dimissionem populi petivissent: ille vero pertinacissimè recusasset: miraculosis decem plagis isq; gravissimis totam AEgyptum afflixerunt; & tandem re secretò confectâ, ex AEgypto cum maxima Israëlitarum manu, sexcentorum videlicet millium hominum bellicosorum, exiverunt: transitum ipsis prabente, per deserta Ethan & montium fauces, ipso mari rubro, stupendo planè* (c) *miraculo, aquâ in nubibus suspensâ, per latitudinem quindecim milliarium Germanicorum, ut ex Ptolemao videre licet. Quam rem indignè cùm ferret Pharao, hostili animo insecutus populum DEI, licet maximis tempestatibus eum terrentibus: maris tamen vadum & ipse ingressus est, cum omnibus copiis: sed recurrentibus aquis circa diluculum diei percitùs, unà cum suis oppressus in illis, atq; absorptus est calamitosum simul & memorabile factus exemplum* (d) *ira DEI ad omnem posteritatem, Anno Mundi bis millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo quarto.* MOSES *autem celebrans primum Pascha, & Eucharisticis carminibus DEO gratias agens, Israëlitas per deserta & solitudines multas circumduxit; ipso filio DEI in nubibus praeunte, & nunc aquis, nunc coturnicum multitudine, nunc Mannâ calitus sparsâ, corpora eorum reficiente, vestesq; eorum miraculosè servante, totis annis quadraginta: in quibus molestias plurimas & maximas*

Iethro.

Vocatio Mosis & Aaron.

Exitus Israëlis ex Aegypto.

Mare rubrum divisum.

Interitus Pharaonis.

An. M. 2454.

Pascha primum.

Exilium Israëlit. per annos 40.

(b) *Laus Dei humilis sapè contingit viro.* Seneca.

(c) *Sola est in miraculis ratio, potestas facientis.* Gregor.

(d) *Quàm benè dispositum terris ut dignus iniqui Fructus consilii primus autoribus esset.* Claudian

maximas murmurationes, exprobrationes, Idololatriam suorum pertulit Moses; & ex variis periculis hostilibus (præsertim initiò Amalechitarum) eos eripuit, fovit ac conservavit. Legibus præterea Rempublicam constituit, de consilio (e) *soceri sui Jethro: legem DEI præceptis decem, tabulis verò duabus comprehensam, in monte Sinai accepit: quadraginta diebus sine cibo & potu illic commoratus, quæ etiam inter horrenda fulgura atq; tonitrua, audientibus sexcentis virorum millibus promulgata est. Præterea tabernaculum arcæ legis DEI in deserto erexit ac dedicavit: Politiam totam pulcherrimis legibus & sapientissimis consiliariis publicè privatimq; instruxit: exploratores Josua & Caleb in terram Canaan misit: æmulos suos divinitùs puniri* (f) *vidit, Mariam leprâ, Chore & socios hiatu terræ: ingratos omnes Israëlitas partim gladio, partim ignitis serpentibus, partim morte perire conspexit: pro quibus tamen subinde ardentissimis precibus apud DEUM intercessit Moses: æneum serpentem erexit, levamen, medicinam auxiliumq; omnibus afferens. Idem bella plurima & gravissima gessit: Sihon Regem Hesbon & Og regem Basan, magnos Gigantes occidit: Midianitas omnes cum quinq; regibus delevit: Josuam populi ducem constituit: Deuteronomium dedit repetitâ lege Dei: beneficia ejus in populum suum Eucharisticis cantibus sive Psalmis celebravit: & cùm in monte Pisga eminùs terram Canaan vidisset, convocatis tribubus duodecim eis benedixit & valedixit: tandemq; sensibus omnibus animi & corporis* (g) *adhuc integris (quod in homine mortali rarissimum) conscendens montem Naboh, mortuus ibi & sepultus est ab ipso Christo: nemine sepulchrum ejus inveniente: anno ætatis suæ 120. Calendis Martii. Heros incomparabilis, qui de*

Molestia & pericula Mosæ.
Politia in deserto.
Lex Dei in monte Sinah.
Tabernaculũ Arcæ.
Iosua & Caleb.
Chore & Iocii.
Serpens æneus.
Bella contra Sihon & Og, &c.
Midianitæ.
Deuteronomium.
Gratiarum actio.
Valedictio Mose.
Mors & sepultura.

(e) *Facilius munia Reipublicæ sociatis laboribus exsequeris.* Tacit.

(f) *Circumretit enim Gis atq; injuria quemq;: Atq; unde exorta est, ad eum plerumq; revertit.* Lucret.

(g) *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.* Iuvenal.

facie ad faciem DEUM *vidit, & cum* CHRISTO *in monte Thabor collocutus est. Reliquit autem successorem* IOSUAM, *virum* (h) *pium ac strenuum, qui divinâ authoritate, virtute ac felicitate munitus, præmissis exploratoribus, Israëlitas per medium Jordanem, divinâ potentiâ tùm exiccatum, cùm aliàs plenissimo alveo exundare solet, traduxit: sed in ipsam terram promissam, nemo ex sexcentis istis virorum millibus ingressus est, præter Josua & Caleb: idq; propter inobedientiam & diffidentiam quadraginta annis in deserto declaratam. Quod reliquum tamen fuit, introduxit in terram Canaan, & lapides duodecim pro numero patrum in Jordane & Gilgal constituit: circumcisionem repetivit: Pascha celebravit: solo tubarum cantu Jericho oppidum prostravit: Regem Canaan ex arbore* (i) *suspendit: quinq; Reges Amorrhæorum delevit: Sole & Lunâ ingenti miraculo cursum suum inhibente, donec Israëlitæ hostes suos ulciscerentur: in summa, triginta Reges & unum debellavit Josua, & totam terram Canaan sibi subjugavit: eandem sorte inter tribus divisit, solâ Levitarum familiâ exceptâ: tandem multis præclaris rebus bello ac pace constitutis, annorum centum & decem cùm esset, universum populum Israëliticum convocavit, Mosis exemplo; obtestatusq; eum, ut in lege Dei constanter perseveret,* (k) *pro testimonio voluntatis sua lapidem sub quercu constituit, & ex vivis abiit, Anno Mundi 2511.*

Iosua.

Iordanis fl. exiccatus.

Pœna inobedientiæ.

Circumcisio. Pascha. Jerichontis expugnatio. Solis & Lunæ miraculosa statio. Triginta unus Regg. Canaan deletio. Divisio terræ Canaan. Levitæ.

An.M. 2511.

(h) *Nulla ei major pietate vera est.* Senec.

(i) *Adhibenda est Respub. causâ severitas sine qua administratio civitas nulla potest.* Cicer.

(k) *Reddite depositum: pietas sua fœdera servet: Fraus absit.* Ovid.

CAPUT

CAPUT X.

DE VARIIS VARIORUM POPULORUM REGULIS ET GUBERNATORIBUS.

Populi potẽtes à Diluvio usq; ad 4. Mundi millenarium.

AT non minus interim, præter Assyrios, Aegyptios atq; Hebræos, cæteri quoq; populi à diluvio per orbem terrarum sparsi, suas ipsi sedes regnaq; stabiliverunt: omnibus rebus necessariis instruxerunt: legibus (a) ac politiis muniverunt, aliaq; pace & togâ præclarè gesserunt: utpote in Italia Gomer & Japeti filius, Saturnus, Phaëton (sub quo Italia arsit) Hercules, Faunus, Evander, Latinus & Aborigines unà cum Æneæ ejusq; posteris. In Germania Ascanes seu Tuiscon, qui gentem Germanam (die Deutschen) à se appellatam, pietatis ac politiæ legibus munivit primus atq; constituit, cujus filii ac posteri usq; ad tertium Mundi millenarium floruerunt. Mannus scilicet à virtute sic dictus: Ingavon qui scholas aperuit, & bonas artes tradidit: & Amazones Lybicas mulieres devicit: Hermannus bellicosus, qui postea à suis pro Deo (b) cultus est, in statua quæ dicta fuit Hermans Seule, cujusmodi Idolum adhuc Carolus M. evertit in Saxonia. Marsus quoq; sub quo Osiris & Isis in Germaniã venerunt, & agriculturæ ac cerevisiæ usum ipsis monstrarunt. Itemq; Gambrivius, Svevus, Vandalus, Alemannus, qui leonem vivum cathenâ ligatum secum circumduxit; (c) quod postea gentilitium signum multorum principum germanorum mansit. Bojus, Francus & alii, qui totidem populos, regna, Dynastias ac principatus

Itali.

Germani Deuschen.

Amazones.

Suevi. Vandali. Alemanni.

Boji, Franci.

(a) A majoribus nostris nulla alia de caussa leges sunt inventa: nisi ut suos cives incolumes conservarent. Cic.

(b) Superstitio error insanus est. Senec.

(c) Validiorem animum & excelsiorem & ampliorem facit virtus. Senec.

cipatus suis de nominibus fundârunt, & ad nos posteros propagarunt. In Hispania, seu Celtiberia, Thubal, Tagus, Betus, Hispanus (à quo dicta Hispania) Geryon, Cacus & qui usq; ad Carthaginensium & Romanorum dissidium, super hoc regno, imperium tenuerunt; quorum temporibus etiam Celtarum Gallorumq; Principes floruisse creduntur: ut Longho, Bardus, Celtes, Narbon, Lugdus, Belgius, Allobrox, Remes & similes. Ante omnes autem claruerunt (d) *seculis istis populi, qui uno nomine Graeci fuerunt dicti, & diversa regna resq; publicas apud suos erexerunt: nempe apud Sicyonios, AEgialeus, Europs, Macedon: apud Argivos, Inachus, Ogyges (sub quo diluvium fuit in Attica) Danaus Lynceus, Protheus, Amphion & alii. Apud Athenienses Palladion, quæ condidit Athenas, Cecrops, Erichteus, AEgeus, Theseus, qui multa gravissima bella gessit: monstra domuit: Rempublicam constituit: apud Mycenas, Perseus, Alcæus, Amphitruon, Hercules, Sthenelus, Pelops, Eristheus, Orestes & similes. Apud Thessalos Prometheus ille sapiens, & Epimetheus frater ejus stultus: Deucaleon, sub quo Diluvium fuit in Thessalia, & reparatio generis humani per ipsum & Pyrrhum uxorem facta, jactu lapidum, ut Poëtæ fabulantur: Dionysius filius, qui & Bacchus dictus est, & exercitus duxit, & cum mulieribus Bachidibus festa (Bacchanalia dicta) celebravit apud Trojanos; Dardanus conditor gentis Trojanæ, Erichtonius, Tros, à quo Trojani, Laomedon, Priamus & alii. Apud Corinthios Jason, Alethes, Ixion cum cæteris. Apud Lacedæmonios, Aristodemus, Eurysthenes, Proclus & complures insequentes: apud Lycios Sarpedon, Rhadamantus & alii: apud Cretenses Minos, &c. Apud Messenios, Polycaon, Nestor & similes: apud Thebanos, Ogyges,*

Hispani.

Celtæ sive Galli.

Græci.

Sicyonii.

Argivi.

Diluviũ Atticum.

Athenienses.

Mycenæ.

Thessali.

Deucalionis diluvium.

Bacchus & Bacchantes.

Trojani.

Corinthii.

Lacedæmonii.

Lycii.

Cretenses.

Messenii.

(d) *Nullum est adeò virtutum sterile seculum; ut non bona exempla produxerit* Tacit.

Thebani. Arcades. Elæi.

Ogyges, Cadmus, Amphion, Lajus, Oedipus, &c. apud Arcades, Pelasgus, Lycaon, quem mactato filio in lupum conversum (d) *fabulantur. Apud Elaos Endymion à Jove ad perpetuum somnum damnatus, Epeus & cateri. Qui omnes unà cum aliis, quas res in Græcia gesserint, quamq; variis vicibus regna & principatus inter se commutarint, vetustiora Græcorum monumenta nonnihil quidem indicant: sed pleraq; fabulis Poëtarum involuta &* (e) *obscurata ad nos usq; pervenerunt. Nobiles tamen aliquot expeditiones susceptæ fuerunt, & bella insignia gesta ab iis, quos commemoravimus, Regibus atq; Principibus, quæ non postremũ in Historiis locum invenerunt. Quemadmodum inter alia Lapitharum & Centaurorum prælia undiq; nota sunt, inter bellicosissimos immanissimosq; Thessaliæ populos; commissa anno Mundi bis millesimo septingentesimo trigesimo septimo.*

(d) *Homines semel gustat à carne humanâ fiunt lupi.* Plato.

(e) *Errorum antiquitas plenissima mater.* Arnob.

Lapithæ & Centauri.

CAPUT XI.

DE EXPEDITIONE ARGONAUTICA, LABORIBUS HERCULIS, ET BELLIS, TUM THEBANO, TUM TROIANO.

Argonautica expeditio. Iason. Argonautæ. An.M. 2740.

NOn minùs quoq; eo tempore celebrata est illa Argonautarum ad Colchos navigatio, suscepta duce IASONE, *circiter Annum Mundi, bis millesimũ septingentesimum quadragesimum, quâ principes & Heroës præcipui in Græcia, Jason, Admetus, Peleus, Castor, Pollux, Hercules, Telamon, Orpheus, Mopsus, Lynceus, Talaus,*

laus, Acastus, Meleager & alii in pontum Euxinum, Argo navi prætoriâ, versus Septentrionem vecti sunt, ad rapiendum aureum vellus: hoc est, regnum AEetæ regis Colchici (auri & argenti fodinis præstans) occupandum: id quod in primis Jason operâ filiæ Medeæ, insignis venefica consecutus est: sed magno suo malo, (a) *ut est apud Poëtas. In illa societate excelluit Hercules patre Amphitruone Thebano Rege, matre Alcumenâ adulterâ progenitus, in omni doctrina & disciplina liberali per præceptores optimos, Linum & Eumolpum aliosq; institutus, quibus tanquam clavâ armatus, res difficilimas quasq; aggressus est: ita ut adhuc hodie, quicquid arduum & magnum est Herculeum dicatur: imò quacunq; facinora præclara atq; heroica uni tribuantur Herculi: cùm tamen plures & diversi Hercules Numero 43 hinc inde apud scriptores deprehendantur. Labores ejus noti sunt omnibus. Nam cùm & animi magnitudine & robore corporis excelleret omnibus: quicquid ubiq; periculosum fuit, grave molestumq; in se suscepit:* (b) *monstra infinita domuit: Amazones mulieres Schyticas, virili audaciâ per Asiam excurrentes, debellavit: orbem terrarum instructo cum exercitu peragravit: ex Africa in Hispaniam progressus, ultimis in Gadibus columnas erexit, quæ hodieq; Herculis columnæ nominantur: Geryonem bicorporem devicit: boves ejus abduxit: Galliam & Italiam subjugavit: Trojam cœpit, & occiso Laomedonte Regnum Priamo tradidit: Olympica certamina instituit: Cacum fœdissimum Latronem & incendiarium, cum multis aliis immanissimis beluis* (c) *sustulit: filios procreavit innumeros: socios ac milites reliquit exercitatissimos, qui postmodum Heraclidæ dicti: varia per orbem regna imperiaq; constituerunt: & honoris ergò suam ad Herculem hunc*

Aureum vellus.
AEëta Rex.
Medea.
Hercules.
Hercules 43.
Labores Herculis.
Columnæ Herculis.
Herculis filii.
Heraclitæ.

(a) *Sæpè solent auro magna subesse mala.* Tibul.

(b) *Fortes gladium facilius recipiunt, quàm videnti.* Senec.

(c) *Haud patiendũ, licentiam scelerum, quasi rabiẽ ad integros procedere.*

Herculis interitus. Omphala & Dejanira. Hyllus filius Herculis.

hunc originem retulerunt: tandem tamen astu mulierum Omphala & Dejanira mollior factus, planè occubuit, & in furore semetipsum exussit: relicto Hyllo filio, qui tamen ab Echemone Tegeata in Monomachia victus, regnum Peleponnesi & sibi & posteris in centum usq; annos amisit. Præcipuè verò duo gravissima bella, circa hæc tempora scriptoribus celebrantur:

Bellum Thebanum. Eteocles, Polynices.

THEBANUM *atq;* TROIANUM. *Thebano causam præbuit dissensio duorum fratrum* (d) ETEOCLIS *&* POLYNICIS, *qui ex incestu Oedipi & Iocastæ conjugio nati fuerunt: quorum alter Eteocles, accepto Thebarum regno, exuit fratrem Polynicem legitimâ parte. Is autem Argos profugiens, cùm in uxorem Adrasti regis filiam, magnum in Bœotiam exercitũ adduxit: Eteocles alios vicissim sibi proceres adjungens, fratri occurrit, cruentaq; cum eo prælia commisit: donecuterq; in Monomachia mutuis vulneribus concidit: & inter Argivos Thebanosq; bellum horribile post se suscitavit, in quo tandem Creon victoriâ & regno potitus est Anno Mundi 2738.*

Adrastus.

Monomachia fratrum.

Creon.

An.M. 2738.

Bellum Trojanum.

Paris. Helena.

TROIANI *belli auctores fuerunt, injusti raptores Telamon, qui Hesionem sororem Priami, vi detinuit: &* PARIS *qui ulciscenda istius causâ* HELENAM *Menelai Regis conjugem* (e) *abduxit: quâ re commoti totius Græciæ Proceres, junctis viribus, ad Trojam venerunt: cumq; ad eam decennium fermè diversâ fortunâ pugnatum esset, tam à Græcis, quàm à Trojanis: Ducibus illinc Menelao, Agamemnone, Achille, Ajace, Ulysse, Diomede, Nestore, Palamede, Glauco, &c. à Trojanis autem, Hectore, AEneâ, Paride, Antenore, Troilo & cæteris: in quibus etiam fuit Penthesilea Amazonum regina, & Telephus, sive Adolphus Gotthorum, Helenusq; Cymbrorum reges: tandem noctu clàm introductis Græcis, per*

Duces Græci.

Duces Trojani.

(d) *Vt macula statim est eluenda; ne inhærescat & difficilius eximatur: ita dissensio fratrum illicò tollenda, ne gignat odiũ.* Plato.

(e) *Sperne Voluptates; nocet empta dolore Voluptas.* Horat.

per equi speciem, autoribus Antenore & Aeneâ, ut fertur, & sublato rege Priamo, Troja capitur incenditurq; : miserabili utrinq; adulterii puniti (e) *exemplo: siquidem in illo decennali bello ex Gracis octingenta & octuaginta sex millia hominum desiderata fuerunt: ex Trojanis sexcenta septuaginta sex: plæriq; verò Duces ac Principes fœmina, in bello & post bellum, horrendis casibus perierunt: ita ut verè Iliras malorum bellum hoc Trojanum extiterit: finitum Anno Mundi 2788: cùm durasset annos decem, menses sex, dieos duodecim. Post lachrymabile hoc bellum, dispersi Trojani, diversas mundi plagas adierunt & incoluerunt. à quibus non minùs multi ac diversi populi sese oriundos, suis in antiquitatibus profitentur: inprimis Romani ab Aenea: Heneti seu Veneti ab Antenore, ut paulò infrà dicetur.*

(e) *Define matronas sectarier; unde laborum plus hauriere mali est; quàm ex re decerpere fructus.* Horat.

Priamus. Excidiũ Trojæ.

Numerus occisorum.

Iliras malorũ.

An. M. 2788.

Dissipatio Trojanorum.

Aeneas Romani. Antenor Veneti.

CAPUT XII.

DE REBUS ISRAELITICIS, SUB JUDICUM REGIMINE.

AT populus Dei, defuncto jam JOSUA *in multiplices sensim mutationes magnasq; difficultates incidit: dum Praeceptorum Mosis & Josua, adeoq; ipsius* DEI (a) *oblitus, peregrinis institutis sese tradidit: quam ob causam quoq; vicinis regibus servire coactus est pluribus annis: misertus tamen ejusdem* DEUS OPT. MAX. *& recordatus promissionum suarum, divinitùs suscitavit viros quosdam Principes atq; Heroas, quos Judices vocarunt, defensores ac liberatores populi: in quibus fuère Othoniel, qui Regem Mesopotamia vicit: Ehud, qui*

(a) *Idèo mala omnia rebus humanis cottidie ingravescunt: quia Deus mundi hujus effector & gubernator derelictus est.*

Israëlitæ sub judicibus.

Idololatria Israëlit.

Iudices populi Dei. Othoniel. Ehud.

Debora & Baruc. Gedeon. Iephtah. Simson. Labores Simsonis. An. M. 2810. Bellum Israëlitarum contra Benjamin.

qui Moabitarum Regem Eglon sustulit: Debora & Baruc, qui occiderunt Sisaram, ducem Regis Gabin: GEDEON, *qui trecentis militibus inermis* (b) *135000 Midianitarum fudit & multa alia praeclara gessit: Iephtah, qui Ammonitas debellavit: &* SIMSON *ille omnium mortalium fortissimus, qui Leonem discerpsit, & de forti dulcedinem comedit: qui triginta Palaestinos interfecit, vestibusq; spoliavit: qui junxit vulpium tercentum caudas cum facibus ardentibus, & segetes Philistaorum incendit: qui captus vinctusq;, funibus ruptis, populares in Ethan delusit: & mille Palaestinos arrepiâ asini mandibulâ trucidavit: qui sitiens, ex eadem scaturientibus aquis, languefactum suum corpus refecit: qui duas portas urbis Gazae, humeris suis in fastigium montis, milliaribus quinq; asportavit: qui denique meretricum circumventus amoribus,* (c) *captus, oculis privatus, casarie spoliatus, universam Philistaorum domum, in qua epulabantur illi, & ludibrii causâ vinctum Heroem coràm adesse volebant, prehensis columnis mediis prostravit; seq; cum trecentis amplius Philistais* (d) *pessum dedit, circiter annum Mundi bismillesimũ octingentesimum decimum. Hos secuti sunt, alii sacris celebrati literis Iudices: qui vario rerum successu populum Dei ab injuriis vicinorum defenderunt, & sanctiorem disciplinam cultumq; DEI ad posteros propagarunt. Incidit in hac tempora bellum Israëlitarum contra Benjamitas, qui violato jure hospitalitatis, Levitae cujusdam concubinâ ad mortem usq; abusi sunt in Gibea, Venere illicitâ: propter quam causam tribus Benjamin panè tota deleta* (e) *fuit.*

(b) *Caussa jubet superos melior sperare secundos.* Lucan.

(c) *Utile propositum est, saevas exstinguere flammas: Nec servum sitis pectus habere suum.* Ovid.

(d) *Superbiae & crudelitati, si fera, non tamen levos sunt poenae.* Liv.

(e) *Quod juvat exiguum est; plus est, quod laedit amantes.* Ovid.

CAPUT XIII.

DE ISRAELITARUM DOMINATU ET DAVIDIS REBUS GESTIS.

CÆterùm post HELI *indulgentem patrem* (a) *& avarum sacerdotem atq; Judicem, qui in senecta cervicem ob id fregit: successit divinus ille vates* SAMUEL. *Hic populo Regem avidè petenti, spretâ Aristocratiâ, quâ hactenus usi fuerant,* SAULEM *magnæ spei virum, primum sistit, unxitq; certis legibus, ac ritibus regiis, quæ servarentur, propositis. Sed hoc nequiter à* DEO *deficiente: adsciscitur David opilio,* (b) *adolescens eximiâ virtutis indole præditus; post Musicus & armiger Saulis; qui rebus Israëlitarum valdè dubiis, Goliathem, inusitatæ magnitudinis hostem, conviciis armisq; provocantem* (c) *Judæos, nudus, inermis, baculo fundaq; pastorali solum usus, singulari certamine, adolescens adhuc, prostravit, & Israëlitis suis animũ, persequendi Philistæos reddidit. Idem* DAVID, *Saule (qui vi & fraude ipsum, licet generum persecutus erat) sibi ipsi manus violentas afferente, Rex salutatus, & tertiùm unctus in Hebron: maximas res summâ cum gloriâ, pro populo Dei gessit: vicinos sibi tributarios fecit, Jabusæos, Philistæos, Moabitas, Ammonitas, Syros, Idumæos, Amalecitas & Gigantum familias oppressit: regnum variis accessionibus auxit: Remp. legibus ac politiâ munivit: Arcam Domini in Hierosolymam transtulit, sedemq; illam regiam mœnibus cinxit: alia denique præclara, maximè ad*

HELI.

Samuel.

Saul.

Lapsus ejus.

David.

Goliath.

David gener Saulis.

Saul sibi manus infert.

David rex unctus tertiùm.

Davidis res præclaræ.

(a) *Peccare qui non prohibet, cùm possit, jubet.* Senec.

(b) *Potest ex casa Cyr magnus exire.* Sen.

(c) Τῷ μὲν ἄρξασθαι παντὸς μεγάλα τίμια τίθεται. *Incipienti ubiq; magna præstata sunt:* Vox Antiphon.

ad divinum cultum pertinentia, supra vires hominis, divino adjutus auxilio peregit: Psalmos seu Hymnos sacros, innumerabiles cecinit cytharâ suavissimâ, Deiq; laudes (d) *ad omnem posteritatem propagavit: ob quam causam etiam promissionem de* MESSIAH *ex familia sua nascituro, accepit à* DEO: *quin & ipse filius* DEI, *de nomine ejus filius David vocari voluit. Passus tamen est in tanta felicitate multa humana David: sceleribusq; gravissimis & se & Ecclesiam Dei contaminavit: inprimis eo, quòd adulterium nefandum cum Bethsabea commisit: & maritũ ejus Uriam virum strenuum ac innocentem in prælio occidi curavit: & posthac πολυπραγμοσύνη* (e) *quadam lapsus, populum Israëliticũ ambitiosè recensuit. Propter quas causas graviter à Deo punitus est, & talionem sensit in propria sobole sua. Nam Ammon filius ejus sororem suam Thamar ad stuprum rapuit: Absalon verò fratrem Ammonem interfecit in convivio. Idem regnum paternum invasit: patrem in exilium ejecit; concubinas ejus publicè constupravit:* (f) *postea Absalon ipse in fuga sublimis de quercu cæsarie suâ pendens, à Joabo duce patris tribus hastilibus transfixus est. Præter hasce tragicas & domesticas calamitates, luem quoq; pestilentia expertus est David, quâ intra triduum septuaginta millia hominum consumpta sunt. His pœnis ergo castigatus Rex, præcipuè à Nathane Propheta, seriem egit pœnitentiam: absolutionem peccatorum accepit:* (g) *Deo gratias egit, & editâ confessione illustri de* DEO, *de Messiah, de beneficiis ejus, confectus jam senio filiũ Salomonem successorem declaravit; necessariis pulcherrimisq; præceptis eum instituit, Thesauros maximos tradidit: ac tandem anno ætatis 70. placidè ex hac vita decessit, cùm regnasset annis 40. circiter An. M. 3930.*

Psalmi Davidis.

Promissio MESSIAE.

Peccata Davidis.

Adulterium cum Bethsabea.

Homicidium Uriæ.

πολυπραγμοσύνη Davidis.

Pœnæ.

Ammon & Thamar.

Absalon.

Ioab.

Lues.

Pœnitentia Davidis.

Nathan.

Mors Davidis.

An. M. 3930.

(d) *Religio & timor Dei solus est, qui custodit hominũ inter se societatem.* Lactant.

(e) *Nemo propria sapiẽtia aut potentia fiduciâ, res periculosas & non necessarias suscipiat.* Herodot.

(f) *Si damnosa senẽ jucundat alea: ludit & hæres Bullatus, parvoque eadem movet arma frutillo.* Iuvenal.

(g) *Numen confessis aliquod patet.* Ovid.

CAPUT XIV.

DE SALOMONIS REGNO, VIRTUTIBUS, VITIIS: DE REGNI DIVULSIONE SUB JEROBOAMO.

SALOMON *filius, vivo adhuc patre successor Regni declaratus, & à praeceptore Nathane Prophetâ optimis disciplinis institutus, sapientiam ante omnia à DEO petivit,* (a) *quam etiâ consecutus est tantam, quantam nullus unquam mortalium habuit: unde & judex solertissimus (ut in causa infantis duarum fœminarum) & Ecclesiastes doctissimus (ut in scriptis suis) extitit. Librorum composuit octo millia de vi & proprietate animantium, plantarum, lapidum, metallorum, herbarum aliarumq; rerum Physicarum. Cum eo Candace regina Austri, de Saba (quam Sibyllam vocant) itinere 240. milliarium confecto disputavit, & mirata sapientiam illius omni opinione majorem, talenta auri centum & viginti* (b) *ei donavit: ipsa quoq; multis magnisq; affecta muneribus, in Aethiopiam (comitantibus duodecim millibus Judaeorum) reversa est, & Legem & Euangelium, circumcisionem & alios ritus in gentem suam intulit: quos adhuc hodie Preto Johannes Aethiopum Rex servare dicitur. Praclara deinde opera sedesq; regias statuit Salomon, ac inprimis sumptuosissimum illud totoq; orbe celebratissimum templum Hierosolymitanum; in quo extruendo septennium consumsit, usus hominum operâ centum quinquaginta millium continuâ, quod post anno undecimo, trans-*

Salomon.

Sapientia Salomonis.

Iudicium Salomonis.

Libri Physici &c.

Candace Aethiop. Regina.

Preto Iohan. Aethiop. R.

Opera Salomonis.

(a) --- nil dulcius est, bene quàm munita tenere Edita doctrina sapientum templa. Lucret.

(b) --- sapiens uno minor est Iove, dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum. Horat.

Dedicatio templi.

Politia. Oeconomia.

Divitiæ.

Navigatio in Indiam.

Peru.

Lapsus Salomonis. Vxores & cõcubinæ Salomonis 1000.

Mors ingloria.

An.M. 2971. Rhehabeam F. Salom.

Divisio regni Israëlitici. Regnũ Iudæ. Regnũ Israëlis Ierobeam.

translatâ ex Sione arcâ fœderis, solenni ritu precum ac sacrificiorum consecravit: cultumq; divinum summo studio ac ordine pulcherrimo constituit. Nec minùs Politiam, judicia disciplinamq; militarem: (c) *ut & rem Oeconomicam adornavit: reditus annuos ex tributis, vectigalibus, aliisq; rebus sibi faciens, sexcentorum sexaginta sex talentorum, h. e. circiter auri tonnas 40. argenti verò copiam innumerabilem sicut lapidum. Navigationem etiam cum Rege Hiram instituit, à littore maris rubri in Ophir Insulam; quæ hodie est India, America, seu Peru Hispanis iterum aperta: è qua post triennium spacium, ingentem vim auri, aliarumq; rerum pretiosarum accepit. Florentissimus igitur cùm esset Rex Salomon, cultu divino, sapientiâ, opum magnitudine, finitimorum amicitiis, subditorum gratiâ, per annos complures, aureumq; tum verè seculum viveret: tandem oblitus* (d) *beneficiorum Dei sortisq; suæ, uxores sibi legit septingentas, & trecentas concubinas: in quibus Ethnicæ & alienigenæ multæ erant. Cum his igitur luxu voluptatibusq; omnis generis diffluens: fœdè descivit à Deo* (e) *suo, & Ethnicorum Idola coluit. Proinde gratiam divinam amisit, mortemq; tantâ fœlicitate imparem atq; ingloriam oppetiit; adeò etiam, ut multi de aterna ipsius salute dubitent. Licet Hieronymus & Hilarius S. Patr. ad Deũ seriâ pœnitentiâ Salomonem conversum autument. Erat tum Annus Mundi 2971. quo succedente in regno Israëlis Rhehabeam filio,* (f) *stolido, levi ac superbo juveni, Deus impietatem ac idololatriam patris & filii vindicaturus, distraxit regnum Israëliticum in duo: diviso pallio Prophetæ: quorum unum Iudæ dictum fuit, & Rhehabeam cessit: alterum Israëlis, & Ierobeam Satrapæ Salomonis*

(c) *Resgerere, & capios extendere civibus hostes, Attingit solium Iovis & cælestia donat.* Horat.

(d) *Coronat Deus in nobis opera misericordiæ suæ: sed si in ea gratia, quam accepimus, perseveranter ambulemus.* Augustin.

(e) *Quotus quisque sapientum est, quem secunda non mutent.* Salvian.

(f) αὐδρῶν ἡρώων τέκνα τῶ ἤματα. *Heroum filii noxa.*

datum est. Illud duas tribus habuit, Juda & Benjamin: hoc reliquas decem: utrumq; reges novendecim.

CAPUT XV.

DE ISRAELITARUM CALAMITATE, ET PROPAGATIONE LITERARUM PER AUTHORES.

SUb his initiò miserabilis ac varius fuit status Ecclesiæ & Politiæ: Deò in ultionem vocante Reges Ægypti, Assyriæ aliosq; Barbaros populos, qui templum Hierosolymitanum diripuerunt, Reges impios justulerunt: populumq; Israël propter cultum vitulorum, (a) satyrorum & similium Idolorum horribiliter afflixerunt: Ecclesiâ, cum vero cultu Dei, intra angustas Prophetarum familias, per paucos pios reges, tum contentâ atq; conservatâ: usq; ad tertium mundi millenarium: in quo præter illas res, quas hucusq; commemoravimus, etiam hoc non ignorandum; quòd sapientia studia, artes & disciplinæ mirificè quoq; auctæ & conservatæ fuerunt: cùm in populo Dei per Patriarchas, Sacerdotes, Levitas, Prophetas & similes: tum apud alias gentes: puta Chaldæos, (b) Assyrios, Persas, Indos, Ægyptios, Germanos, Gallos, & similes. Unde adhuc clarum nomen est Zoroastri Regis Bactrianorum, insignis Astronomi & Mathematici: Magorum sive Magistrorum in Persia: Gymnosophistarum seu Bragmanum in India: Sacerdotum in Ægypto: Sopherum in Græcia: Druydarum in Gallia & Germania: Sibyllarum in Lybia & aliis mundi partibus: è quibus antiquissima

Direptio templi Hierosolymitani.

Tertius mundi millenarius.

Sapientiæ & literarum studia.

Magi unde Magistri.

Gymnosophistæ.

Sophi.

Druydæ.

Sibyllæ.

(a) *Nihil est, quòd tam miseros facit, quàm impietas.* Cic.

(b) μῦθοι χαλδαῖοι σοφίλω λάχον. *Soli Chaldæi sapientiam sortiti.* Vers. Sybill.

Sambethe.

sima fertur, Sambethe nurus Noami, quæ cum socero in Arca fuit tempore diluvii. Hinc veterum monumentis (Poëtarum maximè) commendati nobis quoq; sunt: Atlas Astronomus califer: Cadmus literarum graci Alphabeti Repertor: Orpheus, Amphion, Linus, Musæus, Tiresias, Amphiaraus, qui saxa & solitudines cantu suo, h. e. fera & saxea hominum principumq; virorum corda literis & sapientiâ (b) emolliverunt. Hinc Apollo, Aesculapius, Chiron, Centaurus, Podalirius, Machaon, Mercurius, Trismegistus, Chryses, Phœnix, Calchas, Medici, Philosophi, Poëtæ & vates præstantissimi celebrantur; qui artes quisq; suas in temporibus illis coluerunt, & ad posteros transmiserunt.

Atlas.
Orpheus.
Apollo.
Aesculàpius.
Mercurius.
An.M. 3100.

(b) -- pesite hinc juvenesq; senesq; Finem animo certum, miserùq; Viatica canis. Pers.

CAPUT XVI.

DE TROJANORUM MIGRATIONIBUS, COLONIIS, RÈBUS GESTIS, DUCTORIBUS ANTENORE, ET POTISSIMUM ÆNEA.

POrrò cùm his & aliis rebus gestis ætas Mundi jam pervenisset ad robur suum, & quartus annorum millenarius inchoaretur: maximas atq; ingentes res in eo homines aggressi sunt, passim per orbem terrarum. Etenim Trojani (qui à deleta Troja jam olim circiter Annum Mundi 2790. in Italiam venerunt, (a) *ducibus* ANTENORE & AENEA) *res non exiguas in illis partibus gesserunt: regnaq; & Respub. propè ad finem Mundi durantes ibidem*

Principium quarti millenarii.

Reliquiæ Trojanorum.

(a) Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor. Ovid.

ibidem constituerunt. ANTENOR *quippe cum suis comitibus, ad dexteram conversus, in intimum maris Adriatici sinum penetravit; pulsisq; Euganeis, Patavium condidit, vicinisq; populis, ab Henetis comitibus suis, Venetorum nomen indidit: cum quibus postea latè circumcirca imperavit per multos annos: ex quorũ reliquiis potens illa ac nobilis* VENETIARUM *Resp. adhuc superesse creditur.* AENEAS *verò longiori errore agitatus, primum Macedoniam sive Thraciam peragravit: inde in Siciliam delatus, amisit patrem Anchisen, non ita pridem humeris* (a) *ex incendio Troja exportatum. Post cum reliquiis navium per mare Tyrrhenum in Italiam sive Latium venit, quam tum Aborigines tenuerunt & Rex eorum Latinus, Fauni filius, qui genus suum ad Janum Saturnum* (b) *pium & justum (à quo Saturnia regna) retulit, & Evandro atq; Carmenta hospitium in Palatio monte concessit. Illic igitur Aeneas cum sociis divinâ providentiâ à Latino rege colloquio hospitioq; peramanter exceptus: fidem amicitiæ cum eodem junxit, filiamq; Laviniam in matrimonium* (c) *accepit. Quod agrè ferens Turnus, Rutulorum Rex, bello & armis Laviniam, velut olim sibi desponsatam, ab Aenea repetiit, sibiq; Hetruscorum regem Mezentium sive Tyrrhenorum Dominum adjunxit: sed frustrà. Aeneas namq; superato utroq;, regna Latinorũ obtinuit, & Lavinium urbem de uxoris suæ nomine condidit: tandemq; mortuo socero Latino, ipse juxta fluvium Numicum evanescens, vel potiùs in aquis illis periens, Regnum filio Ascanio (qui & Julus) reliquit. Ascanius post obitum patris, noverca suæ Laviniæ concedens urbem Lavinium, propriam sibi sedem, non ita procul, construxit, eamq; Albam longam nominavit. Regna autem illa fortiter tutatus est, ac per annos*

ANTENOR.
Euganei.
Patavium.
Heneti.
Venetiæ.
AENEAS.
Macedonia.
Thracia.
Sicilia.
Anchises.
Tyrrhen.
Italia sive Latium.
Aborigines.
Latinus R.
Italiæ.
Jan. Saturnus
Evand. & Carment.
Lavinia.
Turnus Rutul. Rex.
Mezentius.
Lavinium.
Latini.
Aeneæ mors.
Ascanius sive Iulus.
Alba longa.

(a) *Quo res cunque cadent, unum & commune periclum, Una salus ambobus erit.* --- Virgil.

(b) ἐυσεβέων παῖ δεσι ϊα λώϊα, δυσσεβέων δ' ἄ. *Piorum liberis meliora contingunt, impiorum verò non.* Vox Ocaculi.

(c) *Non legiones, nõ classes, perinde firma imperii munimẽta sunt, quàm numerus liberorum.* Tacit.

Reges Latin. 15. ab Asc.

annos trecentos in successoribus quindecim usq; ad natos Romulum & Remum, principiumq; urbis Romæ propagavit. Iisdem temporibus Phœnices quoq; maritimis negotiationibus clari, Tyrum urbem coluerũt.

Phœnices. Tyrus. Vtica Lybiæ. Pygmalion. Sicheus. Dido.

Post in Lybiam missâ juventute, coloniam deduxerunt Uticam; quo tempore Pygmalion, auri (d) *sacrâ fame laborans, Sicheum Didonis sororis suæ maritum, (quæ & Elisa dicitur) è medio sustulit, ipsi etiam sorori insidias struens. Dido igitur fraternam fugiens sævitiam in Cyprum primum, post in Africanum littus cum suis defertur. ubi mercata tantum Soli, quantum corio bubalo posset circumdare, Byrsam: post non ita longè, reperto equino capite, bellicam gloriam id significare rata, Carthaginem condidit: quæ civitas brevi finitimorum populorum concursu frequentata, mox omnium rerum copiâ affluens ad summum pervenit Dominatum. Eadem Dido, Aeneam, cum sociis hospitio excepit, miserq;* (e) *ejus amore tandem & animo & corpore conflagravit: si Poëtis credendum est.*

Cyprus. Byrsa. Carthago.

Athenienses.

Athenienses tum non minùs quoq; clari erant: utpote qui inde à Cecrope Rege, per Pandionem utrumq;, per Theseum, Melanthum & alios Heroas regnum suum magna cum gloria tutati sunt, usq; ad Annum Mundi 2876, ubi demum propter Megaram coloniam, bello cum Doriensibus exorto, Codrus, Rex oraculo obsecutus, semetipsum voluntariâ morte devovit pro patria, & interfectus à Doribus, Magistratui Archontum occasionem præbuit.

An.M. 2876. Dores. Codrus.

(d) *Physicus quidã, cùm Diogenem interrogaret; quam ob causã palleres aurum? Quoniã, inquit, plurimos habet sibi insidiantes.* Laërt.

(e) *Errat, qui finem Gesani quarit amoris.* Propert.



CAPUT XVII.

DE MONARCHIÆ ASSYRIÆ RUINA.

ASSyriacum autem summum imperium suâ mole (a) *jam laborabat. Nam Sardanapalus, contemptâ rerum administratione, cùm luxuriaretur intemperantiùs, & in grege fœminarum pictâ facie colo fusoq;, non sceptro aut armis uteretur: Arbaces præfectus, talem indignum tanto ratus principatu, primùm bello ursit, unâ cum Phulbelocho Babylonio: post ad desperationem cùm adegisset, & in Nini urbe obsessum cum uxoribus, Eunuchis & pretiosâ suppellectile* (b) *perdidisset, Regnum illud ad vicinos Medos transtulit, Anno Mundi 3148: cùm à Nimrodo usque per 35. Reges stetisset annis mille trecentis sexaginta.*

Assyrii.

Arbaces.

Phulbeloch.

An. M. 3148.

(a) *Vbi incremento locus non est; Vicinus occasus est.* Senec.

(b) *-- cætera regna Luxuries citiùs odiusq; superbia Gessit.* Claudian.

CAPUT XIIX.

DE JUDÆORUM REGNO, REBUSQ; AHABI JESABELIS, ELIÆ.

SEd Hebræorum principatus (de quo paulò suprà) cùm jam à morte Regis Salomonis, in duas partes divisus esset: Regnum videlicet Israëlis & Juda, varias omninò mutationes expertus est: cùm propter intestina dissidia, (a) *tum propter vicino-*

(a) *Periniquum est, propter privatas*

vicinorum populorum crebras incursiones, vexationes atq; injurias: inprimis autem regnum Israëlis, quod sceleribus multis cultuq; peregrino implicatum, tandem captâ Samariâ, pudendæ servitutis jugo Salmanassaris Assyrii planè succubuit: A. M 3256. Præbuit autem huic excidio Israëlis inter alios impios Reges vel præcipuam occasionem nefandus ille ac detestabilis Rex Ahab, cum malefica uxore IESABELE: quorum horrenda & insanabilis fuit Idololatria, contemptus ministerii & contumacia in atrocibus delictis, 2. Reg 17: quam etiam sensit bonus ille Naboth, cui tùm pulcherrima vinea, unà cum vita erepta fuit: qui tamen rex, cum impia conjuge Deo pœnas satis graves luit: dum in prælio lethaliter vulneratus, sanguinem suum (b) de curru manantem, canibus lingendum præbuit: uxor autem Jesabel, jussu regis Jehu de arce per fenestram præcipitata, ungulis equorum conculcata, & à canibus lacerata fuit, usq; ad calvaria, pedum & manuum viles reliquias. Accessit deinde perfidia postremi Regis Hoseah, qui contra fidem, (c) Assyriorum regi datam, fœdus cum Rege Aegyptiorum fecit: nec munera debita quotannis obtulit: unde decem tribus Israëlis in extremum discrimen adductæ, & à Salmanassere Assyrio per extera regna dispersæ, nunquam posteà convaluerunt: sed Samaritanæ genti, ex Judæis & Ethnicis mistæ, abominabile principium fecerunt. Magnum tamen Prophetam & doctorem Ecclesiæ præstantem Israëlitis circiter annum ter millesimum jam completum concessit Dominus: nempe ELIAM Thesbitam, qui currus fuit & equitatus Israëlis, h. e qui pietate, sapientiâ, doctrinâ Zelo ardenti & miraculis plus profuit Israëlitis, quàm Rex istius temporis Achab, & omnes ejus exercitus. Hic precatione suâ cœlum (d) clausit, ne plueret, & post

An.M. 3256.

Ahab.

Nabothi vinea.

Iesabel.

Hoseah R.

Elias Thesbita.

Labores ejus atq; molestiæ.

simultates Rempub. in discrimẽ adducere: nec abutendũ occasione ad explenda odia: sed potiùs Reipub. sunt donanda privata injuria. Appian. Alexand.

(b) Iustorũ sanguis ad Deũ clamãs, in eadem sese terrâ, ubi fusus est, vindicari rogat. Orof.

(c) Perjurium & divinam ultionem, & infamiã humanam incurrit. Aristot.

(d) Orationis pura magna est vir-

post annos tres cum dimidio iterum aperuit: hic ab impio rege ejusq; uxore Jesabele cæterisq; Baalitis in exilium ejectus, à corvis (qui panem & carnes attulerunt) pastus, & per Angelos cibo & aquâ refectus est. Idem tempore famis, cum vidua Sareptana degens, ex uno pugillo farinæ, & olei sextario, se ac totam viduæ familiam sustentavit; ejusdemq; filium à morte resuscitavit: quadraginta dierum spacio jejunium sustinuit, Baaliticos sacerdotes octingentos & quinquaginta occidit: ignem cælitus devocavit, quo victima madens aquâ, consumpta est: interitum regi Ahab & uxori prædixit: centum milites ab Ahasia impio rege ad se comprehendendum missos, flammis cælestibus (e) perdidit: ELISÆO *successori curam Ecclesiæ commendavit: per Jordanem pallio divisis aquis eundem traduxit, & tandem curru igneo, ignitisq; equis per turbinem, vivus in cælum vectus est, Anno mundi ter millesimo quinquagesimo. Elisæus posteà ab aratro vocatus ad munus Propheticum ab Elia, Ecclesiam Dei gubernavit annis multis: clarus & ipse miraculis. Nam per Eliæ pallium aquas Jordanis divisit: venenatas aquas Hierichuntis, in salubres convertit, injecto sale: pueros maledicos 42 per ursos ex sylva erumpentes interfici curavit: viduam piam & egenam olei copiâ ab ære alieno liberavit: Sunamiten hospitam suam in fame septem annorum (f) juvit, filiumq; precibus ex morte ad vitam revocavit: Naëmanum Syriæ principem, in aquis Jordanis baptizatum, à lepra purgavit: regis Benhadad Syrii consilia cruenta detexit, ejusq; sicarios missos delusit: tandemq; molesto ac laborioso septuaginta annorum curriculo confecto, vitam cum morte commutavit: adeò post funera etiam cohonestatus à Deo: ut ossium ejus contactu, quidam mortuus homo revixerit.*

CAPUT

tus: & velut fidelis nuntius: mandatum peragit: & penetrat, quò caro nō pervenit. August.

(e) ὕβρις τάσης πέρας, ὄλεθρος. *Omnis petulantiæ finis perniciesest.* Dion.

(f) *Non vidi justum ita derelictum; ut semen ejus quæreret panem.* Psal. 37. v. 25.

Miracula.

Baalitici sacerdotes.

Elias igneo curru in cælum raptus. An. M. 3050.

Elisæus.

Miraculosa facinora.

Ossium Elisæi contactus miraculosus.

CAPUT XIX.

DE REBUS JUDÆORUM sub REGIBUS ASSA, JOSAPHATO, AMASIA, EZECHIA, MANASSE: DE PROPHETIS, ET CAPTIVITATE BABYLONICA.

CÆterùm Judæ regnum à posteris Salomonis in familiam Nathani translatum, aliquandiu reges habuit pios & magnos: ut Assa, qui Idola sustulit, & millies millia hominum in exercitu Æthiopum cecidit: ut Josaphat, qui disciplinam (a) Ecclesiasticam atq; politicam restituit, pius, sapiens, felix, salutaris princeps: quos secuti sunt Amasias, sub quo urbs Hierosolyma capta, templum spoliatum & bona pars murorum diruta fuit. Vixit illis temporibus IONAS *Propheta; qui cùm missus esset à DEO, ut Ninivitas hortaretur ad pœnitentiam, defugiens hoc munus in portu Joppe navem conscendit. Ortâ autem gravissimâ tempestate & factâ sortitione in mare abjectus est, tanquam hostia piacularis: ubi hiatu Balænæ exceptus, in ventre ejus trium dierum spacio, per milliaria ducenta quinquaginta ampliùs vectus, & in portu demum maris Euxini ejectus est: tandemq; Niniven devenit, urbem ad Tigridem fluvium sitam (quæ ambitu suo 12. vel 15. milliaria Germanica complexa est, ut hodie Quinsai urbs Orientalis) ibiq; cives ad seriam pœnitentiam vocavit, & ab imminenti interitu liberavit, quem secutus est Propheta Nahum, qui relapsis Nini-*

Nathan ex Prosapia David.
Assa R.
Iosaphat R.
Amasias R.
Ionas.
Ioppe.
Ionas in ventre Balenæ vivus.
Ninive urbs.
Quinsai urbs
Nahum.

(a) *In rebus secundis habendus honor Deo; ut in adversis cum fiducia possit invocari.* Plutarch.

Ninivitis pœnas eas denunciavit, quibus pòst ita perierunt: (b) *ut nunquam cum urbe sua instaurari potuerint. Inter reliquos Juda Reges excelluit etiam Ezechias, qui magno zelo pietatis donatus, æneum serpentem Mosis & alia Idola confregit: Assyriorum impetum divinâ* (c) *adjutus ope sustinuit contra Rabsacen maledicum: morbo lethali correptus, quindecim annorum vita accessionem à Deo impetravit: miraculosam solis stationem diemq; duplicatum vidit: denique horribilis destructionis Regni Israëlis spectator extitit, Anno Mundi 3256. Fidum hic suo tempore* Βοηθὸν, *adjutorem doctoremq; habuit Esaiam Prophetam ex regia stirpe, Christi servatoris patruelem, secundum carnem: qui ornatus vaticinandi dono, eloquendi, sanandi, non modò multa prædixit universa Ecclesiæ Dei: ulcus Ezechiæ Regis applicatâ ficorum massâ curavit: peccata ejusdem, totumq; populi accusavit:* (d) *sed integram historiam Regum suæ ætatis luculentissimam perscribens, populumq; Judæ erudiens, per annos octuaginta fidelissimè suo officio functus est: donec ab impio Rege Manasse, serrâ per medium dissectus est, testibus Hieronymo & Eusebio. coætaneos habuit Hoseam & Amos insignes Prophetas atq; doctores Ecclesiæ, quos secuti sunt Joël & Micha. Pòst inter Reges Juda claruit Rex Josias pius & justus,* (e) *qui delevit Idola: templum Domini reparavit: Paschà solennitate magnâ celebravit: librũ Legis ab Hiskia sacerdote denuò repertum, publicè prælegendum curavit: successores verò impios reliquit, qui licet à Prophetis castigati gravissimè severissimeq; inprimis à Jeremia, unà cum toto populo prafracto & Idololatrico: tamen non abstinuerunt, donec superveniente Nebucadnezare, Babyloniorum Rege, urbs Hierosolyma capta, direpta, templũ destructum, Rex*

Ezechias.

An. M. 3256.

Esaias Proph.

Manasse Rex.

Hosea.
Amos.
Ioel.
Micha.

Iosias R.

Ieremias Pr.

Nebucadnezar.
Hierosolyma capta.

(b) *A Deo relinquitur justè, quem ipse reliquerit injustè.* Fulgent.

(c) *Quos superna protegunt, felices adversarios habere non possunt.* Cassiod.

(d) *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis.* Prov. 27. v. 6.

(e) *Pietate & justitiâ Principes Dis fiunt.* Senec.

Iojakim R.

Zedekias R.

Rex Jojakim vinctus catenis (f) *Babylonem abductus: donec etiam universale urbis templiq; excidium secutũ est: in quo Zedekias Rex, post liberos & Principes Regni, suo in conspectu trucidatos, ipse effossis oculis vincliq; constrictus, cum omni supellectile preciosâ Babylonem abreptus est: ubi in carcere miserè periit:* (g) *urbe florentissimâ & templo magnificentissimo funditus deletis, nec nisi vili plebeculâ ibidem remanente. Et hic finis fuit regni Judæ, A. M. 3365. cùm stetisset à Salomonis obitu annis 395.*

An.M. 3365.

(f) *-- peccatis sæva satellites Pœna. --* Prudent.

(g) *Iustè est subsecuta severitas judicis; ubi præcessit iniquitas peccatoru.* Fulgēt.

CAPUT XX.

DE DANIELIS ET EZECHIELIS REBUS GESTIS.

IN ipsa tamen captivitate Babylonicâ DEUS OPT. MAX *misertus reliquiarum* (a) *populi sui, non solùm Jeremiam Prophetam ipsis reliquit; quem tamen nonnulli Judæorum, furenter in Ægyptum abeuntes secum rapuerunt, & lapidibus in urbe Tachpanes obruerunt: sed etiam Danielem, licet adolescentem, ad summam gratiam & autoritatem inter Babylonios evexit: donum ei concessit interpretandi somnia Regis Assyriæ: eloquentiâ instruxit: oppressum calumniis aulicis,* (b) *& in foveam leonum demersum, miraculosè per Angelum pavit ac conservavit: numerum & statum Monarchiarum, adventum Christi in carnem, finem mundi ei revelavit: Præceptorem ac Moderatorem constituit, cùm multorum aliorum, tum maximorum regum Nebucadnezaris, Evilmerodachi, Baldasaris, Darii, Cyri & similium. Tribuit etiam Deus miraculosam constantiam*

Daniel.

Virtutes, pericula.

Merita & honores ejus.

(a) *Deus semper gladium vindicta oleo misericordiæ exacuit.* Niceph.

(b) *Calumnia aulicorum Principum, tanquam propriam quandam sedem sibi videtur elegisse.* Polyb.

stantiam sociis & æqualibus Danielis, Sadrach, Mesach & Abednego: ut licet in fornacē flammis undiq; ardentem conjecti essent: tamen colossum Regis non adorarent: sed in medio igni persisterent ut illæsi: ita in vera pietate constantes. Concessit etiam Deus populo suo Ezechielem Prophetam, heroico præditum spiritu, qui in medio exilio eum consolatus est; & liberationem à Jeremiâ prædictam confirmavit. Insuper periculum vitæ, quod omnibus Judæis imminebat, propter calumnias Hamani, per Reginam Estherem apud Ahasverum Regem, avertit, & in autoris caput (c) *convertit.*

Sadrach. Mesach. Abednego.

Ezech. Prop.

Haman. Esther Reg.

(c) *Sæpè in magistrū scelera redierunt sua.* Senec.

CAPUT XXI.

DE MONARCHIÆ MEDICÆ AC PERSICÆ PRINCIPIO.

ASSyrii, quamvis circa hæc tempora quarti millenarii à Sardanapalo divisum habuerunt imperium: dum sublato Sardanapalo Anno Mundi 3149 Arbaces Medis & Persis: Phulbelochus autem Chaldæis, Babyloniis sive Assyriis imperare cœperunt: nihilominus tamen, quoad formam, unum & idem mansit imperium, mutatis tantùm personis. Et Assyrii quidem sive Babylonii plerunq; exagitarunt Judæos & Israëlitas: ut Phulassar, qui partem regni Israëlitici vastavit: Salmanasser, qui Samariam cepit & decē tribus Israël abduxit: Sannherib, qui obsidione cinctâ Jerosolymâ ingentem cladem per Angelum Domini passus, & à filiis in templo interfectus est. Nabochodonosor, qui deditione cepit Judæam: Reges postremos in vinculis abduxit: tandem

An. M. 3149. Assyriorum Monarchia divisa. Arbaces, Medi, Chaldæi, Babylō, Assyrii. Phulbeloch. Phulasser. Salmanasser. Sannherib.

Nabochodonosor.

Balthasar.

dem tamen defecerunt reges Assyrii in Balthasare vel Belsazare, qui cùm in convivio repletus (a) *vino, satrapis suis assidens, contumeliâ affecisset Deũ Israëlis, nocte scribente ultionem in pariete manu divinâ, & vitam & regnum amisit: idq; Cyro & Dario concedere coactus est. Medi autem tranquilliores fuerunt, usq; ad Cyaxarem, qui cum Scythis conflixit, & Asiam panè totam amisit: donec Astyages quoq., à nepote Cyro is thoc regno exutus est, Anno Mundi 3413. Inter Lydorum reges illo seculo floruit etiam Cræsus, vir opibus & potentiâ excellens, qui oraculorum ambiguitate* (b) *deceptus, Cyro bellum movit: sed ab eodem victus aliquoties, tandem Sardibus Regiâ suâ, expugnatis, vinctus in rogum fuit impositus, ut exureretur. Verùm cùm ibi miserabiliter exclamaret, ô Solon, ô Solon: & rogatus à Cyro, quid hoc sibi vellet? respondisset: sapientissimum Solonem Athenienſem, aliquando sibi dixisse: ante obitum neminem prædicandum esse beatum:* (c) *liberatus à Cyro, usque ad mortem in amicorum ejus numero est habitus. Cyrus autem regno utroq; & Assyriorum & Medorum potitus est; omnemq; potestatem ac Monarchiam ipsam ad Persas transtulit, circiter Annum Mundi 3435, cùm stetisset prima Monarchia annis 1614.*

Medi.
Cyaxares.
Astyages.
An. M. 3413.
Lydi.
Crœsus.
Cyrus.
An. M. 3435.

(a) *Si vinum avidius sumseris; quid facias, nescis: quid loquaris, ignoras.* Arnob.

(b) σαυτὸν γνώσκων, ὦ Δαίμων Κροῖσε τὰ τέρματα. *Crœse beatus eris, si te cognoveris ipse.* Oracul. apud Xenoph.

(c) *Tunc erimus beati; quum corporibus relictis, cupiditatum & æmulationum omnium expertes.* Cic.

CAPUT XXII.

DE STATU GRÆCIÆ, ET INPRIMIS ATHENIENSIUM AC LACEDÆMONIORUM REPUBLICA.

IN GRÆCIA *Olympiades, jam olim ab Hercule institutæ, istis temporibus sub initium quarti Millenarii Mundi repetitæ fuerunt, & maximi totius gentis conventus habiti prope urbes Arcadiæ Elidem & Pisam: in quibus Græci suas vires corporis, ingenium item virtutem atq; industriam exercebant,* (2) *& simul de anni ordinatione, de rebus pace belloq; peragendis, veluti in comitiis imperialibus deliberabant. Fuerunt etiam ludi in iisdem habiti, & præcipuè quatuor generum: Olympici, prope montem Olympum in Arcadia, honoris Jovis Olympii causâ: Pythici in honorem Apollinis, versus ultimam oram Græciæ, in Thessalia: Nemei propè Argos: Isthmij, ad Isthmum Corinthiacum, in honorem Neptuni. Et quia ludi isti quinto quoq; anno ineunte, in solstitio æstivo, primo die mensis Hecatombæonis, sive Julii nostratis, repetebantur: factum est; ut Olympias diceretur spacium quatuor annorum integrorum & principium quinti: quo spacio Græci posteà, & multi alii populi pro epocha & certissima nota temporis usi sunt; iisq; rerum gestarum memoriam comprehenderunt ac distinxerunt: quemadmodum nos hodie per annos* CHRISTI: *quibus etiam fides adhibita est huc usq; in Historia, præsertim Græca, quæ ante Olympiades, plerumq; fabulis & Poëtarum commentis*

Græci.

Ludi Græcorum.

Olympici.

Pythici.

Nemei.

Isthmij.

Olympiadum initium.

An.M. 3196.

(2) ὅταν σπεύδῃ τις αὐτὸς, καὶ θεὸς συνάπτεται. *Tu modò si properes, adjuvat ipse Deus.* Æschyl.

mentis erat involuta. Durarunt autem usq; ad Synodum Nicenam sub Constantino Magno, qui loco Olympiadum Indictiones instituit. Claruerunt (b) *tum inter alia regna, quæ suprà commemoravimus in tertio mundi millenario & inter populos Græciæ: (ut Lydios, Argivos, Iones, Dores, Arcades, Pelasgos, Aeoles, Siculos, Molossos & alios) itemq; inter Respublicas & insulas Græciæ, potissimum urbes Athenæ, Sparta, Corinthus, Messene, Theba, Ephesus, ex quibus Athenæ disciplinis, legibus, virtute & sapientiâ cæteras antecelluerunt: & principatum per annos 65. obtinuerunt, partim sub regibus, partim sub Archontibus. Instituit autem Rempublicam illam post varias mutationes præcipuè* SOLON *legislator, qui peregrinationes longinquas* (c) *suscepit in Aegyptum, Cyprum, Asiam, & ad ipsum Cræsum Lydorum Regem: ut conferret cum omnibus de sapientia, de bonis legibus, & de vita verè beata. Celebres etiam tum fuerunt reliqui septem Græciæ sapientes, ut Thales Milesius, qui Eclipsin Solis prædixit sub Cyaxare Medo: Bias Prieneus: Pittacus Mitylenæus: Cleobulus Lydius: Chilon Lacedemonius: Periander Corinthi & Corcyræ Dominus, qui singuli sua in patria res magnas gesserunt, & robur atq; incrementũ Græciæ non parvum diversis in locis attulerunt. Lacedæmon quoq; seu Sparta tum potens fuit Respublica in Peloponneso, nullis cincta muris, sed populo, virtute* (d) *viribusq; præstans, hæc potissimùm legibus Lycurgi, (qui Agesilai Regis tutor fuit) mirificè crevit, & multos populos bello tentavit sibiq; subjecit: ut ab initio Messenios, qui in solenni sacrificio virgines Spartanas (quæ propter viciniam & conjunctionem sacra eorum quotannis frequentabant) nefariè violarunt: unde ingens bellum exortum est inter Messe-*

Græciæ populi & Resp. insigniores. Athenæ.

Solon legislator.

Septem Græciæ sapientes.

Lacedæmon seu Sparta.

Lycurgus.

(b) πράξις καλὴ, κήρυξ λαμπρὸς. *Honestum facinus illustris est præco.* Imperat. Manuel. ad fil.

(c) *Interdum expedit, patriam relinquere; ut sapientiam quis possit acquirere.* Cassiodor.

(d) *Non sic excubiæ, non circumstantia telæ, Quàm tutatur amor.* Claudian.

Messenios & Lacedæmonios, quod duravit annis viginti: donec Messenii à Tyrteo duce Lacedæmoniorum, & Poëta claudo, (qui carmine recitato militum suorum animos ad victoriam accendit) penitùs deleti, & in Siciliam expulsi fuerunt: ubi postea Messanam condiderunt, circiter annum mundi 3229. In Asia quoq; minori temporibus illis gestum est magnum bellum ad Miletum urbem, quæ caput fuit Ionia, juxta mare Aegeum: ubi pugnatum est annis undecim, obsidentibus eam Lydiæ Regibus, inprimis Halyatte, in quo claruit Thrasybulus, qui Periandro consilium dedit, de spicis extantibus (d) *decutiendis, h. e. potentioribus è medio tollendis. Argivis quoq; cum Lacedæmoniis non exigua fuit pugna; utrinq; trecentis certantibus, in qua tribus solùm exceptis, cæteri omnes ceciderunt. Et hæc propè omnia gesta sunt annis, à ter millesimo quadringentis circiter elapsis.*

Messenii. Tyrteus. Messana. An.M. 3229. Miletus. Halyattes. Thrasybulus.

(d) *Difficile Regibus, spicas eminentes non decutere.* Nicet. Alex.

CAPUT XXIII.

DE STATU ITALIÆ, ET ROMA CONDITA.

IN Italia autem per ista secula Reges ab Ascanio ad usq; Procam felici satis decursu regnarunt Alba, quæ regia & caput erat Latii. Cæterum habuit Procas duos filios, Numitorem & Amulium: hic pulso fratre (a) *principatum arripuit: virilem fratris stirpē interemit: filiamq; ejus Rheam Sylviam (ut sobolem omnem averteret) in ordinem Vestalium virginum cooptavit. At Rhea à Marte quodam compressa gemellos peperit, Romulum atque Remum,*

Italia. Ascanius. Procas Cyl. Numitor. Amulius. Rhea Sylvia. Romulus & Remus.

(a) *-- omniq; potestas impatiens consortis erit.* Claudian.

Faustulus.

Remum, quos flumini exponere coacta est. Hic Faustulus pastor Regius, cùm videret lupam quandam infantibus ad ripas Tybridis devolutis, mammas submissas prabentem, licet aliàs huic ætati infensissimum (b) *animal: sustulit pueros, & Laurentiæ uxori alendos domum deportavit; quam eandem tamen, quòd vulgaret corpus suum inter pastores, Lupam vocatam, nonnulli autumant. Gemelli, ut adoleverunt: protinus & regiæ indolis significatione & fide pastoris agniti, cùm in certamen venissent cum pastoribus Amulii, ac ob id in periculum: factâ conspiratione obtruncarunt Amulium: & Numitorem in locum ipsius reposuerunt. Ipsi autem relictâ Albâ, montium ac fluminum amatores cùm essent; ut educati fuerant: mœnia novæ urbis auspicatò aggressi, Romam condiderunt, eo ipso loco,* (c) *ubi infantes olim reperti fuerant, Anno Mundi 3220.*

Laurentia Lupa.

ROMA.

An.M. 3220.

(b) *Nunquā denuntiata Vanescunt.* Macrob.

(c) *Quod bonis benè fit beneficium, gratia ea gravida est bonis.* Plaut.

CAPUT XXIV.

DE REIPUBL. ROMANÆ CONSTITUTIONE, ET SEX REGIBUS.

PAulò pòst Romulus, occiso per invidiam Regni fratri Remo, potestate in se translatâ, Asylum in urbe instituit, viris undiq; confluentibus audacissimis: mox per fraudem ad spectandos ludos venientibus Sabinis, fœminas eorum puellasq; rapuit & suis junxit. Sabinis, Tacito rege ductore, injuriam hanc, ope vicinorum, ulcisci volentibus, primùm bello eos cohibuit Romulus: post factâ pace in urbem attraxit, & secum habitare fecit: ipsis

Asyl. Rom.

Sabini.

raptis uxoribus & liberis, testimonium fidei & probitatis, coram Sabinis in acie, maritis suis perhibentibus. Tum constituenda Reipublica incubuit, delectis Senatoribus centum, quos ob ætatem & curam, Patres appellatos, publicis tractandis consiliis (a) præfecit: instituit deinde ordinem Equestrem; ut militari virtute Res Romanas frenaret: reliquam multitudinem artificum & opificum in ordinem plebeium distribuit, & rebus necessariis vacare jussit, gravi prudentiq; consilio: tandem ipse Romulus sapius in aëra sublatus, coortâ tempestate, dicitur evanuisse, hoc est, clàm à proceribus suis, ut magus & fratricida, remotus esse. Huic succedens Numa Pompilius, pietate & justiciâ insignis, ferocem populum; armisq; deditum, legibus ac sacrorum institutis (b) erudiit, & inter cætera virginum Vestalium ordinem ignem perpetuum foventium instituit, qua sacerdotes adhuc hodie fortassis, communi nomine à Numa Nonna Germanis dicuntur. Anno, quem Romulus à Martio inceperat, menses duos adjecit Januarium & Februarium: omnibus quoque aliis pacis artibus mansuetiores fecit Romanos: ne fortè principatus ille, vi & injuriâ partus, collabasceret. Qua eadem hac instituta, ut plus authoritatis haberent, nocturnis cum Ægeria Dea congressibus se informari finxit: templum extruxit, cujus porta (pacis index) tum primum clausa est. Sequutus est Tullus Hostilius, qui, ne populus ocio ac desidia (c) langueret, militarem disciplinam instauravit, cumq; vicinis bella gravissima gessit, maximè Albanis: ubi cùm totius belli istius eventus, Horatiis Romanis, & Curiatiis Albanis, trigeminis utrinq; fratribus committeretur, unus superstes Horatius Romanus, tres in fuga dispersos Albanos, prout quisq; ipsi occurrit, cecidit: victorq; rediens, cum soror deploraret interitu sui

(a) Quid fieri debeat, tractato cum multis: quid verò factatus sis; cum paucissimis ac fidelissimis: vel potius ipse tecum. Veget.

(b) Quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est. Plaut.

(c) -- Curiam semper dant ocia mentem. Lucan.

Reip. Romã constitutio.

Numa Pompilius.

Vestales virgines.

Nonnæ sacerdotes

Ann. Numæ.

Ægeria.

Templũ Iani.

Tullus Hostilius.

Albani.

Horatii Rom. Curiatii Alb.

Horatius victor.

Curiatii Alb.

sui Sponsi (qui unus erat ex tribus Albanis) eandem obtruncavit. Post Tullus Rex Metium Suffetium auctorem fœderis rumpendi (d) *inter Albanos & Romanos, quadrigis distraxit, ac Albâ deletâ opes omnes Romam transtulit: atq; ex ambabus gentibus unam fecit, ipse fulmine tactus interiit.*

Ancus Martius.

Hinc Ancus Martius, magnificis structuris delectatus, urbem muro cinxit:

Hostia.

Tyberim Ponte sublicio junxit; Hostiam, maris portum, coloniam deduxit.

Tarquinius Priscus.

Tarquinius inde Priscus disciplinis Græcorum imbutus, Sabinos acie devicit, Senatum ac tribus auxit:

Capitolium.

Capitolium illud nobile templum (reperto capite humano sic dictum) exstruere cœpit:

Triumphus primus Romæ.

primum triumphum equis albis, aureũ currum trahentibus introduxit: multiplicia alia magistratuum ornamenta constituit.

Servius Tullius.

Sub hoc Augur Accius sua artis certitudinem comprobaturus, novaculâ cotem discidit.

Census.

Quem Servius Tullius secutus, gravissimis sanctissimisq; legibus regiam dignitatem communivit: censum primus (e) *instituit, quo bello & paci necessaria redimerentur: in classes centuriasq; populum distinxit:*

Lustrum.

lustrum condidit, quo temporum haberetur ratio.

Pecunia signata.

Æs primùm pecudis notâ signavit: unde pecunia, aliaq; multa præclara restituit, quibus urbs Roma & crevit mirificè, & contrà vicinorum incursus tuta permansit.

(d) ἄγει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τοὺς τοιοὺς δίκας. *Adducit ad supplicia Numen improbos.* Menand.

(e) *Neq; quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt.* Tacit.

CAPUT

CAPUT XXV.

DE GALLORUM DIVISIONE, ET CONTENTIONIBUS GRÆCORUM.

INterim Bellovesus, Gallorum multitudinem (ab Helicone quodam Helvetio, qui Romæ fabrilem artem exercebat, evocatam) in Italiam deduxit: pulsis Thuscis, quos Rhetum quondam ad Alpes collocarat: unde Alpina Rhetorum gens profecta est. Similiter & Sygovesus Dux, partem Gallorum ad saltus Hercynios transtulit, qui omnes sedibus in istis partibus firmatis, nobiles multas urbes (a) *extruxerunt: ut Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Vincentiam, Tridentum & cateras, quarum adhuc hodie magna est celebritas. Hac etiam Gallorum in Italiam emigratione, Alpibus intermediis, alia Gallia citerior, alia ulterior est appellata. Eodem tempore Græci advenæ Phocenses, in littore Galliarum Massiliam construxerunt, quæ cùm esset Græcorum portus, linguam, instituta, atque disciplinam suorum constanter servavit: viribus eadem aucta, res magnas cum vicinis, maximè Carthaginensibus gessit, & in Hispania Galliaq; littore multa oppida condidit. Nec minùs autem Græcorum res suis incrementis tum provehebantur: adeò ut mutuâ potentiâ non parum semetipsos* (b) *debilitarent. Nam inter Athenienses & Megarenses, de Salamina Insula diu multumq; fuerat decertatum: & jam apud Athenienses capitale erat de illa recuperanda consultare. Ibi Solon legislator eorum prudentissimus,*

Bellovesus.

Rheti.

Sygovesus.

Mediolanum.

Gallia diversa.

Phocenses.
Massilia.

Carthaginenses.

Athenienses.
Megarenses.
Salamis Insula.

Solon.

(a) *Vtq; alios alij de religione docerent, Contiguas pietas jussit habere domos.* Stigel.

(b) *Raro laditur homo ab extraneis: si sui eum non ladant.* Isidor.

tissimus, subitâ dementiâ simulatâ perfecit, miro consilio suo: ut Salamina Insula ex Megarensium manibus protinus eriperetur, quæ tum magni momenti fuerat, Olympiade 50. Megarensibus ulcisci injuriam volentibus, opponitur vir fortis & strenuus Pisistratus: sed is elatus successu rei benè gestæ (c) *Tyrannidem affectavit, & à Megacle & Lycurgo patriâ ejectus est.*

Pisistratus.

(c) *Felicitas in malo ingenio avaritiam, superbiam, cateraq; occulta mala patefacit.* Tacit.

CAPUT XXVI.

DE ASTYAGE MEDORUM ULTIMO REGE.

APud Medos interim (qui divisum cum Assyriis tum obtinebant imperium) principatum consecutus fuit Astyages, qui memor somnii (in quo viderat ex utero filia suæ Mandanes vitem enasci tantæ magnitudinis, ut palmitibus suis totam obumbraret Asiam) continuò natum ex filia, cui ob id totius Asiæ imperium divinitus promitti videbat, occidendum Harpago intimo Consiliario, (a) *tradidit. Sed hic metu filia & facinoris atrocitate perculsus puerum dedit pastori, regii pecoris, cujus uxor mota regio infantis aspectu suum partum (fortè tum mortuum) hujus loco exposuit, & puerum hunc educavit, eiq; nomen Cyri indidit. Astyages igitur Cyrum nepotem, ubi conservatum intellexit ab Harpago: arreptum filium ejusdem, & in frusta dissectum, patri crudeliter epulandum apposuit. Harpagus dissimulato dolore,* (b) *cùm adversus Cyrum adultiorem factum, præfectus copiarum esset delectus; ad eundem cum omnibus suis transiit: & Astyagem devictum,*

Astyages.

Harpagus.

Crudelitas Astyag.

(a) *Non potes successorem tuum occidere.* Senec. ap. Dion.

(b) *Difficile est, injuriam convenire cum patientia.* Senec.

tum, unà cum regno in potestatem Cyri transtulit: Anno Mundi ter millesimo quadringentesimo decimo tertio. An.M. 3413.

LIBER II.

DE REBUS SUB MONARCHIA PERSICA.

CAPUT I.

DE CYRI VITA, MORTE, MORIBUS.

Amq; Cyrus devicto Astyage, & mortuo Dario Medo (quo cum Babylonem expugnaverat, deleto Balthasare ultimo rege, per Principes Gobriam & Gabatam, & cum quo biennium rexerat imperium illud) prout erat prastanti vir ingenio, & divinitùs ad imperium vocatus, (a) longè latéq; victor totâ Asiâ extitit, ac summum in Persia Principatum seu Monarchiam secundâ constituit, Anno Mundi 3435. Ejus inter alia commendatur insignis pietas & beneficentia in populum Judaorum. Nam captâ jam Babylone, cùm Danielem Prophetam audivisset frequenter: eumq; non secus atq; Darius, in precio magno habuisset: à dura servitute Judaos liberavit, & eosdem muneri-

Cyrus. Darius Medus.

Secunda Monarchia Persarum. An.M. 3435.

Reditus Judæorum.

(a) *Rationibus fixis peragunturres Dei: & quod semel decretũ est fieri; nullâ potest novitate mutari.* Arnob.

Zorobabel.

Hierosolyma instaurata.

Cræsus.

Scythia.

Cyri clades.

Mors Cyri.

muneribus donatos, ducibus Zorobabele & Josuà Pontifice, domum remisit. Judæi verò, cùm templi ruinas instaurare, urbemq; Hierosolymam reparare conarentur, ad sequentia usq; Darii tempora, per malevolos fuerunt impediti. Idem Cyrus Lydorum regem Cræsum opibus & potentiâ tum luxuriantem, bello cepit: conquerentem autem de felicitatis humanæ inconstantia (de qua olim admonuerat ipsum Solon) clementer postea habuit: intelligens, & se mortalem in eundem casum (b) *devenire posse. Postea Cyrus opum viriumq; magnitudine confirmatus, transtulit bellum in Scythiam. Sed hic cùm in regione versaretur ignota* (c) *& difficillimis itineribus esset implicatus, Thomyris Regina insidiis circumventus, & in angustias redactus, toto cum exercitu, ne nuncio quidem calamitatis relicto, opprimitur. Caput Cyri præcisum à Thomyri in utrem sanguine humano plenum fuisse injectum scribunt, cum hac crudeli exprobratione: sanguinem humanum sitiisti, sanguinem bibe. Tradunt tamen alii fortissimum hunc sapientissimumq; Principem cùm diversissimas gentes imperio suo subjecisset, linguis, institutis locisq; dissimiles junxisset; jamq; imperium constabilivisset legibus, opibus, atq; potentiâ: tandem sub finem vitæ, convocatis filiis* (d) *amicis atq; magistratibus Persarum, luculentam (quæ etiam nunc extat) orationem habuisse de animarum immortalitate, placideq; in regno suo expirasse. Et hoc alterum fuit deinceps summum imperiũ in mundo; cui cùm vix resistere aliud posset, (ut antè Babyloniorum) Monarchia quoq; ab eruditis fuit appellatum.*

(b) *Inter tot obsequia fortunæ nõ satis causa mortalitatis est.* Curt.

(c) Imperator apud Propertiũ ab Arethusa audiat: *Cogor & è tabula pictos addiscere mundos.*

(d) *Optimũ quemq; uti decet: ut post se quoque Reip. prosit.* Plin.

CAPUT II.

DE ROMANOR. EJECTIS REGIBUS, ET CONSTITUTO CONSULATU.

APud Romanos L. Tarquinius ex morum sævitia Superbus appellatus: optimè jam constitutum imperium vehementer concussit: ut fit, simul ac rebus secundis animi hominum insolescunt. Is namq; cùm domi foriq; magnâ crudelitate varia hinc inde oppida Latii vastasset, socerum suum Servium Tullum occidisset, (per cujus corpus impia quoq; filia Tullia carpentum egit) insuper filium, similis ferocia Sextum Tarquinium educasset; extremo suorum odio (a) laborare cœpit. Nam cùm filius Sextus inter alia flagitia Lucretia uxoris Collatini pudicitiam nocturno tempore per vim expugnasset: & verò ob illud dedecus castissima fœmina, in conspectu suorum semetipsam interfecisset: populus Romanus indignitate rei permotus, Regem Tarquinium, unà cum filio urbe ejecit: (b) autoribus L. Junio Bruto & L. Tarquinio Collatino: qui pudicitia Lucretia ultores fuerunt. Quo facto, populus Romanus communi consensu ac jurejurando dato, decrevit: nullos deinceps reges admittere amplius. Itaq; Brutus & Collatinus in libera jam patria primi Consules declarantur: & Senatus dignitas, quasi multis è regibus composita majestas, constituitur. Ne verò quis diuturnitate imperii Consul insolesceret: annuus (c) is Magistratus esse jubetur: & quidem duplex: ut alius ab alio (si improbus alteruter esset) coërceretur: à quo tempore populus

L. Tarquinius Superbus.

Sex. Tarq. F.

Lucretia.

Reges ejecti Româ.

L. Iunius Brutus.

L. Tarquinius Collatinus.

Consules Romani.

(a) *Qui vult regnare, languidâ regnet manu: Si vis nunquâ imperia retinentur diu.* Senec.

(b) *-- ruit in vetitum damnosa libido.* Claudian.

(c) *Imperandi parendiq; vicissitudo ac potestas reprimit ingenia fastuosa; nec ine-*

populus Romanus admirabili successu, cursuq; incredibili, ad omnem honoris potestatisq; excellentiam contendit, magnis animi corporisq; viribus de imperii gloria, cum omnibus orbis terrarum populis decertans: ac deinceps pratermissis lustris, res gestas temporumq; seriem consulum annis notare ac dinumerare incipit.

briari nimiâ licentiâ sinit. Dionys. Halicarnass.

Fasti Consulares.

CAPUT III.

DE CAMBYSE, DARIO HYDASPIS FILIO ET BELLO ATTICO.

Cambyses Tyrannus.

IN Perside verò Cyri filius Cambyses, dissimilis, indignusq; patri successor, crudeliter Smerdim fratrem, sororemq; pro uxore habitam, interemit: temulentus filii Prexaspis fidissimi consiliarii sui cor sagittâ transfixit: Persas 12. primarios, nulla de causa necavit: adificationem templi Hierosolymitani impedivit: Sisamni præsidi ob injustè latam sententiam cutem detraxit, (a) *& Tribunali instravit: ac demum expeditione in Ægyptum susceptâ, cùm inde rediret, gladio, fortè vaginâ elapso, incubuit,* (b) *nulloq; regni hærede relicto, infelicem animam exhalavit. Dominabantur tum Magi, quos pro sapientibus Persæ habebant: inprimis Smerdes cum fratre Patazite, qui regnum affectabant. Sed his depulsis & occisis, gravi septem procerum Regni deliberatione habitâ: ut is Rex esset, cujus equus omnium primò hinnivisset: Dario,* (qui unus erat ex iisdẽ proceribus) *astu servi regnum à cæteris protinus delatum est: quod ipse ductâ in uxorem Cyri filiâ, facilè confir-*

Exemplũ singulare.

Magi.

Darius Hydaspis.

(a) Novit Dominus injustos in diem judicii pœnas dantes servare. 1. Pet. 1. v. 9.

(b) οἷα δ' αὐτὴρ ῥέζῃ, ἧοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνῃ. Qualia quisque patrat, talis manet exitus illum. Oraculũ Batto redditum.

confirmavit. Non multo post callido (c) *Zopyri facto* (*qui sibiipsi precisis auribus, labiis & naso, Babylonem transfugit, urbem, paulò antè deficientem à Persico imperio recepit. In Archivis Cyri cùm inventum esset decretum, de instauratione templi Hierosolymitani, ne illa diutius impediri posset, sumptus immensos ad ædificationem piè ac liberaliter Darius contulit Anno Mundi 3456. Olympiade 66. Idem Scythis bellum intulit: Legatos ad Amyntam Lacedæmoniæ Regem misit; qui cùm se immodestè gererent* (d) *in Gynecæo, ab Alexandro Amynta F. & aliis adolescentibus, muliebri veste indutis, omnes occisi sunt. Exercitum ingentem misit in Atticam centum millium peditum, & decem millium equitum duce Artapharne: ut Hippiam Pisistrati Fil. ob tyrannidem ejectum reduceret; qui à decem millibus Atheniensium & mille Plataensium* (*Lacedæmoniis nimiùm cunctantibus*) *in campis Marathoniis, duce Miltiade, maximâ celebritate & animi alacritate profligatus atq; deletus est. Olympiade 72. Anno Mundi 3480. Hac tantâ victoriâ partâ, & hoc terrore totius Græciæ sublato, multùm aucta fuit & celebrata Atheniensium in armis gloria: adeò; ut ejus prælia insignes, passim & crebra mentio per scriptores, facta sint. Verum ingrati nimiùm Athenienses, Miltiadem ducem fortissimum & meritissimum majoris potentiæ metu, in vinculis ad extremum usq; vitæ diem indignissimè* (e) *habuerunt.*

Zopyrus.

An.M. 3456.

An.M. 3480.

(c) *Laudanda ejusmodi decepta, per quæ hostes maximè decipiuntur; & amici plurimùm juvantur.* Thucyd.

(d) *Verecundia parens est omnis honestis consiliis, tutela solemnium officiorum.* Valer. Max.

(e) *Eò productum est furor: ut periculosissima res sit, beneficia in aliquem magna conferre.* Senec.

CAPUT

CAPUT IV.

DE ROMANORUM BELLIS, CONSTITUTIONE TRIBUNORUM, DICTATURÆ, CAPITOLI, ET Q. MARTI INIMICITIIS.

ROma autem diu interea tumultuatum est, Tarquiniis, nuper urbe pulsis, restitutionem sui per finitimos reges urgentibus. Ex quo etiam Porsena, Ethruscorum rex, Romanis sese opposuit, urbemq; obsedit: ubi Horatius Cocles adversus impetum ejus, sublicium pontem maximâ virtute (a) *solus defendit: & Q. Mutius, cognomento Scævola, castra Porsenæ ingressus,* (b) *ac pro Rege occiso scribâ, singulari patientiâ, manum quæ errarat, sibi ipsi excussit: & obses Clelia virgo Tyberim tranavit: adeò ut ejusmodi fortitudinis, constantiæ & magnitudinis animi exemplis, fractus Porsena, factâ pace à bello abstinuerit: dimicantibus interim Tarquiniis tamdiu: quoad Brutus & Aruns, regis filius, mutuis armis concidêre: & Latini Tarquiniis opem ferentes itidem expulsi sunt. Tempore illo Romana plebs translatis inimicitiis à finitimorum bellis, ad suos, & ære alieno oppressa, in sacrum montem secessit, à Magistratu suo: unde Menenius Agrippa, explicatione Fabellæ (quæ est de immuni atq; otioso ventre & membris cæteris, quæ alimenta subministrare negaverant) eam reduxit, & sedatis discordiis* (c) *Tribunitiam potestatem concessit, atq; instituit; quâ deinceps populus suâ libertatem adversus senatum & consules tutaretur. Circa hæc tempora Romæ quoq; novus Magistratus consula-*

Porsena.
Horatius Cocles.
Mutius Scævola.
Clelia virgo.
Brutus & Aruns.
Latini.
Menenius Agrippa.
Tribuni plebis.

(a) *Fortissimus ille est, Qui promtus metuenda pati.* Lucan.

(b) *Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile.* Terent.

(c) *Tyrrhenus lapis, quatũcũq; grandis, innatat; comminutus sidit: ita concordiâ sustinemur; discordiâ possũ imus.* Plin.

consulatu major in extremis periculis creari cœptus est, & Dictatura appellatus: cujus summæ potentiæ (d) unicum robur, cunctis terrori esset, & omnes ad obœdientiam flecteret. Hunc honorem primus gessit Titus Lartius: cui suberat alia dignitas Magistri equitum, quam primus consecutus est Spurius Cassius: itemq; Censura, quam primi gessêre L. Papyrius Mugillanus & L. Sempronius Atratinus. Capitolium quoq; arx summa sive summum templum circa hæc tempora dedicatum est Jovi, post ab exulibus Romanis captum A. M. 3515. Interim pulsus urbe Q. Martius, dux Romanorum, qui Coriolos cœperat, Volscorum oppidum, (unde & Coriolanus dictus) auxiliis eorum fretus, Tribunos qui illum exagitarant, patriæ urbis expugnatione, ultiurus erat: at missis legationibus & in cæteris quoq; Veturiâ matre, & Volumniâ uxore, precibus lachrymisq; earum victus, ab armis discessit. (e) Eodem tempore Vejentes ad Cremeram trecentos & sex viros, unius familiæ Fabiorum, dolis circumventos, oppresserunt, unico ex omnibus istius familiæ nominisq; superstite.

(d) Unus principatus à bellis dissidiisq; solutus ac liber esse solet. Iustin.

(e) Irasci facilis, tamen et placabilis esset. Horat.

Dictatura.

Magister equitum.

Censores primi.

Capitolium captum.

Q. Mart. Coriolanus.

Veturia & Volumnia.

Fabii 306.

CAPUT V.

DE XERXE, ET CLARIS GRÆCIÆ DUCIBUS, LEONIDA, THEMISTOCLE, PAUSANIA, CIMONE.

HIs alibi gestis, Xerxes Darii filius, terror gentium, vindicaturus cladem patris Darii, in campis Marathoniis olim acceptam, cum copiis decies centum millium (quantas nulla unquam

Xerxes.

quam ætas audivit) è Perside in Græciam venit, quibus apud Thermopylarum angustias, in Thessalia, occurrit primùm Leonides Spartanus, & cum 600. vel 300. benè instructis (a) militibus, hostium quinquies centena millia trucidavit: alacri & erecto animo, pro patria cum suis fortissimè occumbens. Deinde progressum latiùs Xerxem ad Artemisium navali pugnâ Græci vicerunt. Iterum Themistocles Atheniensis (Miltiadis tropais (b) vehementer inflammatus) aliquot prœliis navalibus ad Salaminem Persas singulari consilio industriâ ac fortitudine fregit. Tandem Græciâ excedens Xerxes, fugienti similis, reliquit belli totius suasorem & impulsorem Mardonium, qui post communibus totius Græciæ viribus, duce Pausaniâ, ad Plataas victus est, frustra Xerxe proditionem Græciæ per Pausaniam molente, & novam expeditionem suscipiente: in qua ad Eurymedontem fluviũ, terrestri simul & navali prœlio victus, à Cimone Atheniensium duce, summo cum dedecore & damno rediit in Persiam, ubi ab Artabano cubiculario occisus est, Anno Mundi 3507. Græcia verò prædâ auroq; Persico mirificè locupletata, luxum peregrinum (c) admirari cœpit, & variis inquinari vitiis: ut & Themistocles non multò pòst ab ingrata patria, tam fideliter servata, in exilium ejectus est, & hostis factus patriæ, cum Persis sese conjunxit: sed antequam contra patriam proficisceretur, diffidens causæ, taurinum sanguinem bibit & occubuit.

Leonides Spartanus.

Themistocles

Mardonius.

Pausanias.

Cimon.

An. M. 3507.

(a) Manibus opus est bello, nõ multis nominibus. Synes.

(b) Instructus redditur animus in futuris; quando præteritorum commovetur exemplis. Cassiod.

(c) Quippe nec ira leum tantùm, nec tela, nec hostes; Quantum sola noces animis illapsa Voluptas. Sil. Ital.



CAPUT VI.

DE CREATIS ET ABROGATIS TRIBUNIS ET DECEMVIRIS, DEQ; LEGIBUS XII. TABUL.

ROma Tribunis potestate suâ nimium(a) *abutẽtibus, ac subinde graviùs graviusq; tumultuantibus, facto communi consensu, Decemviri creantur; qui annuo imperio, sine alio Magistratu, Reipublicæ præesse deberent: cùm paulò antè primus Proconsul extra urbem Romam factus fuisset, Titus Quintius. Cumq; de legibus ferendis magna esset inter patres & Tribunos contentio: missi sunt in Graciam legati, qui leges Solonis describerent, quas illi afferentes, posteà duodecim Tabulis comprehensas* (b) *promulgarunt. Capita autem præcipua illarum erant, de cultu Deorum, de Templis, feriis, sacrificiis, sacerdotibus, de funerum ceremoniis, de Magistratibus, de Jure, de Judiciis, de delictis, de pœnis & similibus. Cùm verò Decemviri quoq; exorbitarent: adeò, ut propter magnitudinem sævitiæ atq; incontinentiæ, decem Tarquinii appellarentur: cumq; violenter in tertium usq; annum magistratum illum detinerent: tandẽ incontinens Appii Claudii libido,* (c) *etiam hunc magistratum Romæ finivit. Nam cùm ille Virginii cujusdam filiæ, stuprum per vim illaturus esset; pater autem arrepto cultro ex proxima taberna illam protinus, ante factum, interemisset: plebs multùm mota, Decemviratum abrogavit, servatisq; legibus Consulatum revocavit A. M. 3520. circiter.*

Tribuni plebis.

Decemviri.

Proconsul.

Leges XII. Tabul.

Decem Tarquinii.

Appii Claudii libido.

Virginius.

An. M. 3520.

(a) *Nihil habet consultum aut æquale populaus status.* Thucyd.

(b) *Leges sunt anima & spiritus civitatis: unde Respub. sic consurgit: & quâ sublatâ, ut corpus sine mente, Respub. procumbit.* Cic.

(c) *Vbi animus se cupiditate devinxit malâ necesse est, consilia consequi consimilia.* Terent.

CAPUT

CAPUT VII.

DE ARTAXERXE LONGIMANO.

Artaxerxes Longimanus.

IN Persia Xerxe defuncto, successit filius Artaxerxes, qui quod dexteram sinistrâ longiorem haberet, Macrochir sive Longimanus dictus est; princeps plurimis virtutibus artibusq; belli & pacis clarissimus. Hic inter alia Hebraeos fovit, piam Hestherem ad regium fastigium (a) *evexit, populum DEI remisit in patriam, Esdra legis peritissimo, & Nehemia viro prudentissimo, ducibus adjunctis, qui urbis mœnia instaurarunt, & prisca gentis instituta confirmarunt. Aegyptios idem Persis parere coëgit: sed cum Atheniensibus in Cypro duce Cimone pugnavit infeliciter: unde pax illa nobilis inter Persas & Athenienses conciliata, Graecisq; civitatibus libertas confirmata est. A. M. 3523.*

Esther.

Esdra.

Nehemia.

A. M. 3523.

(a) *Nihil est tam peculiare imperialis majestatis, quàm clementia & humanitas: per quam solam Dei servatur imitatio.* L. ult. C. de donat. int. vir. & uxor.

CAPUT IIX.

DE BELLI PELEPONNESIACI CAUSIS, OCCASIONE, PROGRESSU, EVENTU, DUCIBUS.

CIrca hac tempora cùm floreret Graecia & bonis legibus, artibus atq; disciplinis, autoribus Solone, Lycurgo, Charondâ, Zaleuco & aliis legumlatoribus: & rei bellicæ gloria, Ducibus Miltiade, Themistocle, Aristide, Cimone, Pausaniâ & simi-

Charondas.

Zaleucus.

Miltiades.

Themistocles.

& similibus: jamq; ad summum fastigium pervenissent duæ Respublica, (a) *Lacedæmoniorum & Atheniensium: ortâ inter ipsas æmulatione, bellum ingens conflatum est quod Peleponnesiacum, à loco in quo cœpit, appellatum est: cum utraq; civitas alteram insimularet: quasi principatum totius Græciæ affectaret. Datâ igitur occasione per Corcyræos & Dyrrachienses: Corinthii defensionem Dyrrachiensium susceperunt, & Lacedæmonios ad bellum pertraxerunt: Corcyræi contrà sibi Athenienses adjunxerunt: hinc tota panè Græcia ad bellum convenit: ex una parte Lacedæmoniis rem gerentibus, quorum socii erant Peleponnesii, Megarenses, Locri, Boëtii, Phocenses & alii complures: ex altera parte Athenienses, quibus se conjunxerant Chii, Lesbii, Plataenses, Corcyrenses, & multæ aliæ civitates atq; insulæ: quarum utriq; viribus, bellum istud ingens susceptum est A.M 3541. in vere, & gestum 27. annis integris ac mensibus aliquot. In eo bello Athenienses primo sexennio feliciter pugnarũt, duce Pericle: Lacedæmoniis Persarum regem in auxilium sibi vocantibus: decimo verò anno pax inter Athenienses & Lacedæmonios, suasore Niciâ Atheniensium duce, ad annos 50 mediocribus conditionibus facta est: sed cùm vix ad sextum annum esset progressum, variis hinc inde rebus gestis inter socios, ubiq; bellum redintegrare* (b) *cœperunt: Inprimis autem Athenienses instigante Alcibiade, homine inquieto,* (c) *ambitioso, superbia ac luxui dedito. Cæterum cùm bellum gerere non auderent manifestè: propter nuper initum fœdus: vires suas omnes transtulerunt in Siciliam: Athenienses quidem Egestanis. Lacedæmonii verò Siracusanis opem ferentes: revera autem de imperio totius Græciæ inter se dimicantes: pugnatum autem diu est Marte ambiguo.* (d) *Et Athenien-*

Bellum Peloponnesiacum. Pausanias.
Corcyræi.
Dyrrachienses.
Lacedæmonii.
Athenienses.
An.M.3541.
Pericle.
Nicias.
Alcibiades.
Egestani.
Siracusani.

(a) *Parva scintilla sæpè magnâ sylvam comburit.* Pindar.

(b) *Interdũ pax est, pacis fiducia nũquam.*

(c) *Pleriq; in id nati, ut neq; ipsi quiescant, neq; alios quiescere sinant.* Thucyd.

(d) *Fortuna belli sæpe anceps est loco.* Senec.

nienses quidem, magnâ in Siciliam classe missâ ducibus Alcibiade, Niciâ, Lamacho, cui etiam interfuit Sophocles Poëta rem seriò aggressi sunt: hi verò Lacedæmonii per Agidem Regem obstiterunt, deficiente ad hostes Alcibiade: unde Attici in Sicilia horrendâ clade propè omnes deleti fuerunt, amisso duce Niciâ: Lacedæmonii autem fœdere cum Persis facto, illorum sumptibus atq; auxiliis valdè confirmati sunt. (e) *Ea res movit Athenienses, ut missò Thrasyllo duce contra Mindarum Lacedæmonium, in mari sese opponerent, rebus feliciter gestis: post Alcibiadem ducem suum, (qui in exilio erat, cùm propter alias causas, tùm quod unâ nocte omnes Mercuriales statuas dejici curasset) evocarunt Athenienses: qui Byzantio recepto, Athenas reversus, honorificentissimè ab irata quondam patria exceptus est: Remp. quassatam restituit, & à quadringentis Senatoribus potestatem ad quinquies mille viros transtulit: ipse cum omni exercitu profectus in mare: ubi non multò post, navali superatus prælio apud Ephesum in voluntarium abiit exilium: tandem à Satrapa quodam Persarum, instinctu triginta Tyrannorum sublatus.* (f) *Lacedæmonii verò licet ab Atheniensibus ad Arginusas essent victi, & dux eorum Callicratides casus: tamen ope Lysandri viri fortissimi bellum instaurarunt; qui, sublatis jam Alcibiade & Conone, aggressus est totum exercitũ ad Aegospotamon, eumq; delevit: post Athenas properans, & omnia turbata deprehendens, urbem obsedit, cœpit, mœnia destruxit, naves Atticas partim exussit, partim abduxit: denique Athenienses opibus & honoribus spoliatos triginta Rectorib. commisit, A. M. 3568: cùm funesto hoc bello per 27. integros annos sese invicem exercuissent, innumerabili sanguine humano profuso,* (g) *multisq; præstantissimis ducibus amissis. Triginta*

Sophocles.
Lacedæmonii.
Nicias.
Thrasyllus.
Mindarus.
Statuæ Mercuriales.
Callicratides.
Conon.
Lysander.
Athenæ deletæ.
An. M. 3568.
Finis belli Peleponnesiaci.

(e) *Habet in adversis auxilia, qui in prosperis commodat.* Solon.

(f) *Heroica ingenia habent plerunq; Tragicos exitus.*

(g) *Sæpenumerò in*

bello pars utraque & perimit & perit; damnũ dat, & accipit. Plin.

ginta autem Rectores illi, postea Tyranni facti, in optimos quosq; sævierunt: cumq; Theramenem, (cæteris ut terrori essent) è medio sustulissent: Thrasybulus magnâ virtute collectis reliquis exulibus, hinc inde dispersis, hos quoq; (connivente Pausaniâ Rege Laconico) de statu deturbavit: patriæq; libertatem reddidit: atq; ut omnis generis controversiæ vitarentur ἔχοντες ἕκαστοι ἀέχθοι *prateritarum injuriarum* ἀμνησίαν *sive oblivionem* (h) *illam memorabilem sancivit: pristinumq; Reip. statum laudabili instituto revocavit.*

Triginta Tyranni. Theramenes. Pausanias. Thrasybuli ἀμνησία.

(h) *Injuriarum remedium est oblivio.* Pub. Syr.

CAPUT IX.

DE BELLIS ATHEN. ET THEBANORUM ADVERSUS SPARTANOS: DEQ; CLARIS EORUM DUCIBUS.

NOn multò post rebus hinc inde variè gestis, paullatim Athenienses Lacedæmoniorum injurias ulti sunt (a) *per egregios Duces Cononem ad Cnidum & per Chabriam ad Naxum insulas: donec Persarum authoritate pax Antalcidæ Spartani operâ fuit constituta. Similiter Thebani, Atheniensium confisi auxiliis, duce Epaminondâ, maximi animi viro, Lacedæmonios diuturnis confectos bellis adoriuntur, ac superiores fiunt. Sed interveniens Agesilaus, comparatâ victoriâ, eos repressit. Thebani repetito bello, Spartam & regem ejus Cleombrotum aggressi sunt denuò, & primùm in Leuctris oppido Bœotiæ, propter Scedasi filias à duobus Spartanis*

(a) *Qualibet extinctos injuria suscitat ignes.* Ovid.

Conon. Chabrias. Pax Antalcidæ. Agesilaus. Clembrotus. Leuctra. Spartani Scedasi filii.

Mantinea.

Pelopidas.
Epaminōdas.
Timotheus.

Macedones.

Alexander Pheræus.
Philip. Maced.

tanis adolescentibus per vim constupratas, (b) *ac postea in puteum abjectas, magnâ clade affecerunt: post ad Mantineam maximis prœliis, potentiam ejusdem debilitarunt, victoribus Pelopidâ & Epaminondâ, qui eodem in prœlio fortiter occubuit. Dein apud Athenienses claruit Timotheus Cononis filius, vir fortissimus: hic urbes, insulas, omnemq; oram maritimam Atheniensibus recepit: cum Lacedæmoniis pacē fecit: marisq; imperium suis restituit. Sed Athenienses depositâ armorum gloriâ, conversi ad ocium & ludorum apparatus,* (c) *multam in is pecuniam insumpserunt. Proinde Macedonum viribus, tum subito succrescentibus: & Athenienses & Spartani, cum Thebanis (qui hucusq; se invicem viribus suis, Deo puniente eorum scelera, confecerant) universi ipsis cedere coacti sunt: Alexandro Pherao & Philippo Macedone tùm emergentibus circiter A. M. 3600.*

(b) *Fluit Voluptas, & prima quæq; evolat: sæpiusq; relinquit causas pœnitēdi, quàm recordandi.* Cic.

(c) *Corporibus effœminatis, animi multō languidiores efficiuntur & infirmiores.* Xenoph.

CAPUT X.

DE GALLIS, ITALIAM ET ROMAM INFESTANTIBUS, REPULSIS A MANLIO ET CAMILLO.

Senones Gal. & Germani.

Brennius dux.
Clusium.

IN Italia, interim Galli accersitis Cisalpinorum (a) *auxiliis, cùm & militum robore, & viribus essent formidabiles, duce Brennio magno agmine effusi sunt in Italiam, & Clusium obsidione cinxerunt. Postquam verò Romanorum legatos de pace componenda Clusium missos, pugnantes in acie viderent, relictis Clusinis adversus Romanos profecti sunt,*

(a) *Plerunq; externo pessundata milite regna.*

sunt, & juxta flumen Alliam, aciem eorum, Coss. Fabio ductore, fuderunt. Posteà Romam conversi, patentem eam, ac defensoribus destitutam occuparunt, vastarunt, natuq; majoribus occisis, incenderunt. Juvenes autem, qui in Capitolium, duce Manlio concesserant, eosdem irruptionem in illud facturos, clangore anseris (b) *admoniti, prohibuerunt. Superveniens his rebus Camillus exul: sed jam absens Dictator iterum creatus (qui paulò antè quoq; Dictator & Tribunus militum contra Vejos & Faliscos res magnas pro patria gesserat) suâ virtute & prudentiâ post septimum Mensem Gallos urbe exegit, patriamq; ingenti metu liberavit: ex quo alter Romana urbis conditor appellatus est. Tanta autem fuerat trepidatio tum apud Romanos: ut Gallorum vicinitatem metuentes,* (c) *de sede Vejos transferendâ consultarent: quod consilium tamen Camillus disturbavit & Remp. erexit, Aequis, Volscis, Hetruscis, aliisq; populis finitimis debellatis. In Sicilia (cujus opes jam in regnum excreverant) tum quoq; magni motus erant. Nam cùm Dionysius superior, tyrannicè admodum imperitaret: Carthaginenses ab insula repulisset: & in magnam Graeciam conversus, multis bellis eandem afflixisset, tandem insidiis suorum* (d) *de medio sublatus est. At Dionysius Junior, patri per militum gratiam succedens, cùm & ipse nefandis cadibus arderet, luxuq; diffluereret intemperantiùs: Corinthum fugere, ibiq; summâ egestate pressus, pueros in urbe literas docere, pro victu parando, coactus est.*

Romani cas[illegible] ad Alliam.

Roma cap[illegible] à Gallis.

Manlius.

Camillus.

Veji.
Falisci.

Aequi
Volsci.
Hetrusci.
Sicilia.
Dionysius major.

Dionysius junior.

Ludimoder[illegible] tor.

(b) *Romulidûm arcis servator candidus anser.* Lucret.

(c) *In dubiis terroribus etiam Deorum liberi fugiunt.* Pindar.

(d) *Multu terribilis, cavete multes.* Auson.

CAPUT

CAPUT XI.

DE PHILIPPO MACEDONE ET BELLO SACRO.

Philippus Macedo.

INterea Philippus Rex Macedonum, domesticâ Epaminondæ (a) *institutione (quo cum obses antea vixerat) rectissimè formatus, cùm animadverteret cæteros populos diuturnitate bellorum exhaustos, rebus gerendis animum adjecit, regnumq; augere plurimum studuit. Proinde rebus domi compositis alios statim finitimos sibi conciliavit; alios magnâ calliditate sollicitos tenuit; alios aperto Marte aggressus vicit. Hinc ab obsidione Byzantii adversus Scythas profectus est, eosdemq; fudit: post omni studio rebus Græciæ incubuit, & cum Atheniensibus acriter pugnavit, maximè propter Olynthum urbem: & ad Cheroneam, ubi Athenienses & Thebanos magnâ clade affecit, victosq; moderatè habuit.* (b) *Multa quoq; alia bella gessit contra Pæonas, Illyrios, Thraces, Phocenses & vicinos populos. Tandem conventum agens totius Græciæ, cùm jam suscipiendæ Persicæ expeditionis auxilia obtinuisset, resq; maximas animo agitaret, in nuptiis filiæ Cleopatræ à Satellite Pausaniâ, per insidias occiditur, Græciâ in maximis turbis relictâ. Anno Mundi 3627. Ejus temporibus gestum quoq; fuit bellum inter Thebanos & Phocenses: propter templum Delphicum, quod diripuerant Phocenses, duce Philomelo: unde bellum sacrum fuit appellatum: eò quod donaria & opes sanctis usibus in templo isto dicatas, ad auri tonnas 60, Phocenses abstulerant, magna cum offensione totius Græciæ. Isti bello post decen-*

Byzantium.

Bella Philippi.

Mors Philippi.

An. M. 3627.

Bellum sacrum.

(a) *Educatio & disciplina mores facit: & id sapit unusquisque, quod didicit.* Senec.

(b) *Quodcunq; libuit fœtere victori, licet: Minimum decet libère, cui multum licet.* Senec

decennium Philippus Macedo, cæsis 6 millibus Phocensium, finem imposuit: cùm dux eorum, Philomelus à Thessalis & Bœotiis anteà victus semetipsum de rupe præcipitasset.

LIBER III.

DE REBUS SUB MONARCHIA GRÆCORUM.

CAPUT I.

DE ALEXANDRI VITA ET MORTE, ET CLARIS VIRIS ÆTATE EIUS.

Ed patri Philippo, mox successit Alexander filius, Aristotelis summi Philosophi (a) *præceptis quàm optimè instructus. Hic suis ad arma incensis, Græciaq; rebus compositis, debellatis Illyriis, Triballis, Syrmo Getarum rege victo, & Thebis solo æquatis institutâ à patre expeditionem Persicam maximo rerum successu persecutus est. Etenim parvâ manu,* (b) *militibusq; disciplinâ optimè institutis, Darium regem Persarum, cum maximis copiis sese opponentem, post aliquot victorias, tandem prostravit. Urbem Sardes, Miletum & Halicarnassum expugnavit: Tyrum cepit:*

Alexander Magnus. Aristoteles.

Bella Alexandri.

Darius Persarum rex.

Victoriæ.

(a) *Nullus est, quem oporteat, vel plura, vel meliora scire, quã Principem: cujus doctrina debet omnibus prodesse subjectis.* Veget.

(b) *In omni conflictu non tam prodest multitudo, quã virtus.* Veget.

Victoriæ.

cepit: Ciliciam & Aegyptum perdomuit: Alexandriam condidit. Auctior post amplissimo & opulentissimo Persarum regno factus, Babylonem & Persepolin occupavit: petram Aornon expugnavit: dein peregrinationum Liberi patris & Herculis admonitu, longissimè in Orientem ad Indos usq; profectus est: Taxillem & Porum Reges Indicos sibi subjecit: tot interim populis devictis, tot oppidis conditis, tot monumentis rerum gestarum post se relictis: ut Magni nomen obtinuerit. Inde conversus in Babyloniam legationes penè totius orbis de amicitia secum ineunda, audivit: sed luxui & helluationi (c) *ubi indulsit, Clytum, Parmenionem & Philotam meritissimos amicos per temulentiam interfecit: Jovis filius haberi voluit: libidinibus nefariis sese polluit: tandem contractâ febri ex intemperantia cùm largiùs adbibisset, vel (secundum alios) venenum hausisset, in flore ætatis, anno 32. extinctus est: rebus maximis per annos 12. in omni varietate gestis, per universum orbem terrarum: ita ut similem sui vix habuerit: & Tertii summi imperii sive Monarchiæ Græcorum auctor fuerit habitus: obiit autem Anno Mundi 3648. Fuit tum temporis & alter ejusdem nominis Alexander, Rex Epiri, qui non minorem gloriam in Occidentis expugnatione animo suo concipiens,* (d) *res in Italia grandes molitus est: sed non multò post occubuit. Hac ætate multi viri præstantes doctrinâ & ingenio passim in Græcia claruerunt: Philosophi, Poëtæ, Oratores, Pictores, Sculptores; Euripides, Sophocles, Socrates, Plato, Aristoteles, Isocrates, Demosthenes, Xenophon, Aristippus, Apelles, Pyrgoteles, Lysippus, Zeuxis, Polygnotus & alii.*

Peregrinationes Alexand.

Autoritas & fama Alex.

Vitia.

M. 2.

An.M. 3648. Alexander Epirota.

Insignes Philosophi. Oratores. Poëtæ. Artifices.

(c) *Valde turpe est: ut quem nō vincit homo, vincat libido: & obruatur vino, qui nō vincitur ferro.* Augustin.

(d) *Inanes contentiones nostræ, quæ n medio spatio sæpè franguntur & corruunt: & intè in ipso portu obruuntur, quàm portum respicere potuerint.* Cic.

CAPUT II.

DE VARIIS ROMANORUM CONCERTATIONIBUS AC BELLIS, INTERNIS ET EXTERNIS: DE MAGISTRATUUM ORDINATIONE, CURTIO, MANLIO, VALERIO, DECIIS ET CURIO.

ROmani autem & vicinorum bellis, interim occupati, maximè Samnitum Hetruscorum, & domi inter se quoq; contendentes, (a) *de honoribus, de agris, de fœnore & similibus rebus per Tribunos suos: nonnullis quoq; periculis fuerunt expositi. Etenim temporibus istis Spurius quidam Melius regnum in urbe affectavit: sed hunc vir strenuus L. Quintius Cincinnatus ab aratro ad dictaturam vocatus, jussit interfici per C. Servilium Halam Magistrum Equitum. Crebræ quoq; contentiones fuerunt, ob leges Agrarias, quæ de publicis agris bello acquisitis, in populum dividendis sæpenumerò ferebantur: Itemq; de tribunatu & aliis Magistratibus: unde tum pacis quoq; inter cives retinendæ causâ, Prætores creati sunt: sic dicti: quasi Præitores, qui in rebus civilibus actionem dabant vel negabant: quorum erat etiam ferias indicere, & fari illa tria verba, do, dico, addico. Lecti quoq; sunt Ædiles, qui sacras & publicas ædes viasq; curarent, & qui annonæ præessent, dicti Cereales: ut illi Curules, quod curru veherentur. Plebs ipsa etiam Romæ, cùm non ita pridem per tribunos suos patriciorum connubia obtinuisset,*

(a) *Discordia & seditio omnia opportuna insidiatibus facit.* Liv.

Spur. Melius

L. Quintius Cincinnatus

Leges Agrariæ.

Prætores Rom. An. M. 3607

Ædiles, Curules, Cereales.

Consules ex plebe.

L. Sextius.

M. Curtius.

Bella Romanorum cum vicinis.

Fœdera cum Pœnis.

T. Manlius Torquatus.

M. Valerius Corvinus.

Manlii severitas.

ἀκεραιοδίκαιον.

P. Decius pater.

nuisset, permotâ honorum aviditate, consularu quoq; dignitatis jus (magnâ contentione, repugnantibus patribus) affectavit, (b) *& consequuta est: primumq; ex plebe L. Sextium Consulem creavit: inde agrorum possidendorum modus quingentis jugeribus finitus est: & de fœnore minuendo perlatum. Claruerunt tum Romæ Camillus, Servilius, Posthumius, Papyrius, Fabius Maximus & alii insignes Romani. Eodem tempore M. Curtius, nobilis Romanus, obsequutus oraculo, in patentem urbis voraginem, equo armisq; instructus, pro salute patria,* (c) *& ad expiandam grassantem pestilentiam sese præcipitavit. Ac licet multi finitimi populi Italiæ tùm Romanis propter urbis incrementũ, continenter infesti essent: Pœni quoq; non rarò eos premerent: tamen illi magnâ semper virtute, ex omnibus istis difficultatibus sese extricarunt, partim faciendo pacem; ut cum Pœnis: partim domi leges civiles constanter ac religiosè servando: partim foris militarem disciplinam tenendo. Unde sub illud idem tempus T. Manlius, Gallum quendam eximiâ corporis magnitudine armisq; insignem vicit in Monomachia; eiq; torquem cruore respersum abstulit, & collo suo circumdedit: atq; inde Torquatus dictus est. Quem imitatus est M. Valerius nobilis Romanus, qui itidem Gallum ferocientem singulari certamine obtruncavit, adjutus à corvo,* (d) *qui in pugna, os oculosq; hostis rostro & unguibus appetere non desiit, donec ille cecidit. Eadem tempestate T. Manlius in bello adversus Latinos, cùm filius ejus contra edictum & extra ordinem pugnasset cum Geminio Metio viro inter Latinos claro: ut assereret disciplinam militarem & autoritatem officii sui, filium licet, victorem sibiq; charum, securi à lictore percussum* (e) *vita privavit. Pub. item Decius tunc laborantibus Romanis,*

(b) *Hæc est natura multitudinis; aut servit humiliter, aut superbè dominatur: libertatem, quæ media est, nec spernere modicè, nec habere sciũt.* Liv.

(c) *Dulce, & decorum est pro patria mori.* Horat.

(d) θεῷ θέλουσος, κἀν ὀλὶ ῥιπὸν πλέοις. *Deo favente, vimen est ratiò loco.* Menand.

(e) *Summũ jus antiqui putarunt summã crucem.* Columel.

Romanis, cum Manlio Coss. pro exercitu semetipsum devovit: ac equo concitato, cùm in medios hostes sese intulisset, voluntariâ morte, suis victoriam restituit: Latinos verò ad deditionem coëgit: quod idem in bello Gallico fecit Decius filius: seq; ipsum devovens ad Clusium in medios hostes, Gallos atq; Samnites intulit, eosdemq; feliciter profligavit Anno Mundi 3677. Eodem tempore Papyrii & Fabii, tumultuantes Samnites cum aliis vicinis magnâ virtute (f) multisq; praliis, vastatâ eorum regione, compresserunt, viginti quatuor inde triumphis reportatis: in quo tamen ipso bello Samnitico, (quod duravit annos 71.) Romani cladem aliquoties etiam passi, maximè apud Caudinas furcas, & iterum sub consule Fabio Gurgite; sed virtute sequentium consulum, & inprimis constantia M. Curii (qui aurum Samniticum sibi oblatum, ad focum sedens & coquendis rapis vacans repudiavit) hostes Samnitæ, unà cum sociis tandem penitùs deleti sunt, Anno Mundi 3700, ante portam Collinam urbis Romæ, Syllâ ultimum ipsis exitum afferente.

P. Decius filius.

An. M. 3677.

Papyrii & Fabii.

Bellum Samniticum.

Caudinæ furcæ.

M. Curius.

An. M. 3700.

L. Sylla.

(f) *-- Famam extendere factis Hoc Virtutis opus.* Virgil.

CAPUT III.

DE DIVISIONE MONARCHIÆ ALEXANDRI M. ET SUCCESSORUM EIUS IN BELLIS.

MOrtuo Alexandro Magno amplissimum ejus imperium, ut partum celeriter maximis laboribus: ita maximâ dissensione, ipso Alexandro prædicente, diversas in partes scissum atq;

An. M. 3648.

Divisio Monarchiæ Alexandri Magni.

Aridæus Philippus.

Ptolomæus Lagi R. Aegypti. Antigonus Asiæ, Antipater Macedon. Seleucus Syriæ. Cassander. Olympias Alexandri M. mater. An.M. 3661.

Demetrius.

Cyprus.

Turbæ in regnis Alex. M.

Macedonia.

Syria & Asia.

atq; divisum fuit.(a) *Etenim ducibus ejus atq; exercitu de successore Regni eligendo inter se dissentientibus, licet fratrem Alexandri, Aridæum (postea Philippum dictum) haberent: tamen præter nudum Regis nomen nihil ei reliquerunt: ipsi autem inter se regnum in quatuor partes*(b) *diviserunt: & ad ministrandum susceperunt: Ptolomæus Lagi scilicet, Aegyptum: Antigonus Asiam: Antipater Macedoniam: Seleucus Syriam & Babyloniam. Antipatro autem mortuo, Cassander filius ejus Gracia bellum intulit: Athenas occupavit, illisq; Demetrium Phalereum præfecit: Olympiadem Alexandri matrem occidit: Macedoniâ vastatâ Roxanem cum filio Alexandro interfecit: Thebas reparavit: Antigonum Eumenem captum trucidavit, & Europam cum Macedonia sibi totam attribuit Anno M. 3661. Quatuor isti duces postea semetipsos reges appellarunt, secuti exemplum Demetrii, filii Antigoni: qui cùm Ptolomæum navali prælio vicisset, & regno Cypri potitus esset, regio diademate atq; titulo usus est. Hæc divisio maximorum deinceps bellorum causa fuit*(c) *atq; origo. Frequenter enim expulsiones, exilia, cades, rapina aliiq; id generis incommoda audita: ita ut nihil magis perturbatum, aut violentum toto orbe extiterit, successoribus illis Alexandri. Verùm paulatim Romanorum viribus ad summũ perductis, fracti sunt omnes atq; conciderunt.*(d) *Nam Macedoniæ Regem undecimum & ultimum, Paulus Aemilius Consul Romanus cepit & in Triumphum duxit, finemq; huic regno imposuit A. M. 3804. Syriæ autem & post Asiam Regnum variè dilaceratum & exagitatum fuit: donec q[illegible] ultimus Antiochus R. (cum Tigranem Armeniæ Regem accersivisset in regnum) tandem & suum & Syriæ Regnum, Pompeio Magno relinque-*

(a) *--scissura domestica turbat Rempublicam: titubatq; forum, quod dissidet intus.* Prudent.

(b) *Nulla fides regnat sociis.* Lucan.

(c) *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.* Tyres. apud Plut.

(d) *Ergo cavete viri, ne sit sententia discors Senibus in Senatu.* Prudent.

relinquere coactus est A. M. 3906. Posteaquam Antiochi multi in hoc regno grassati fuerunt: præsertim in Judæos & legem atq; instituta Mose & Prophetarum Antiochus Epiphanes, sive Epimanes. Ægypti porrò Reges (plariq; dicti Ptolomæi) usq; ad Cleopatram, partim à Romanis defensi, partim in ipsorum potestatem penitùs tandem redacti sunt: Augusto Cæsare cogente Antonium Cleopatræ maritum sibi ipsi manus afferre: (c) Cleopatram verò morsu serpentum perire A. M. 3942. Rex interim Bithyniæ usus Gallorum ope adversus hostes suos, longè lateq; Asiam vastantibus, ducibus Brenno & Belgio, sedes illis suo in regno concessit: unde regio à mixtis Græcis atq; Gallis dicta post fuit Gallogræcia & Galatia. Roma ortâ gravi pestilentiâ, Æsculapius ex Epidauro Insula vivi serpentis specie allatus, eiq; novum templum constructum est, Anno Mundi 3681.

Antiochi.

Ægyptus. Ptolomæi.

Galli.

Gallogræcia.

Æsculapius Romam delatus.

(c) *Desperatio certa mors est.* Ambros.

CAPUT IV.

DE BELLO PYRRHI ADVERSUS ROMANOS.

TArentini tum temporis impetu in legatos Romanorum, per temeritatem petulantiamq; facto, grave bellum suscitarunt: sed cùm Romanis viribus impares sese animadverterent, Pyrrhum Epirotarum Regem, ducem strenuum & magno instructum exercitu, optimâq; disciplinâ commendatum, Romanis opposuerunt: qui primùm insolito Elephantorum aspectu, territos illos, (a) apud Heracleam profligavit: sed iisdem post majoribus viribus redintegran-

Tarentinorum bellum.

Pyrrhus Epirota.

(a) *--- Vires subtrahit ipse timor.* Ovid.

tegrantibus prælium: virtute Curii & Fabricii & Appii Claudii Cæci (qui nullâ vi, nullo auro, nullis præmiis, aut promissis sese ad pacem flecti aut corrumpi patiebantur) Pyrrhus retrocedere coactus est, tribus magnis prælis cum Romanis commissis: posteaquam neq; gratuitâ captivorum restitutione, neq; excellenti Cyneæ oratoris sui (b) eloquentiâ (qua plures urbes antea sese expugnasse, quàm armis gloriabatur) quicquam proficeret A. M. 3693. Proinde idem Pyrrhus omni spe Italiæ obtinendæ dejectus, (cùm jam illa partes Romanorum penitùs sequeretur, tot victoriis & opimis spoliis Romam deportatis) in Siciliam se contulit: & regnum amplexus, Carthaginenses Insulam illam infestantes, cohibuit; ibiq; latè victor, Rex salutatus est. At inde excedens, cùm Argos profectus esset, ictu tegulæ à fœmina ibi dejectæ, miserè periit.

Cyneas Orator.

Sicilia.

Pyrrhi mors.

(b) πᾶν ἐξαιρεῖ λόγος, ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δρᾶσειεν ἄν. *Cuncta sermo conficit, Quacunq; ferrũ efficere possit hostium.* Eurip.

CAPUT V.

DE PRIMO BELLO PUNICO, ET IN EO FIDE ATTILI REGULI.

Bella inter Carthaginẽses & Romã.

HOc hoste sublato: Romani & Carthaginenses, qui militiâ illâ cum Pyrrho, bellicam orientis armorumq; ejus disciplinam acceperant: suscitatâ inter se æmulatione, (a) hostiliter diu sese invicem exercuerunt: adeò ut vix unquam ullæ civitates, viribus opibusq; potentes, arma tam infesta contulerint. Carthaginenses callidi & versuti habebantur: Romanos commendabat fortitudo, constantia laborumq; patientia. Intermedia utrisq; erat Sicilia,

(a) *Majora cupimus, quò majora Generint; intentioq; concitatior est.* Senec.

Sicilia, cujus (ceu horrei boni & cellæ penuariæ) obtinendæ cupiditas, in magnum hoc certamen eos adduxit. Accedebat tum Messana, fœderata Romanis civitas, quæ de Carthaginensium injuria conquerebatur. Itaq; (orto primo bello Punico, quod à Pœnis sive Carthaginensibus ita dictum est, Anno Mundi 3708.) Romani contra Carthaginenses Hieronem Syracusanorum Regem, missis auxiliaribus copiis, duce Appio Claudio Consule, Carthaginenses vicerunt, ac pacem petere coëgerunt: primò tùm egressi extra oram Italiæ. Deinde comparatâ magnâ classe, primùm tùm etiam mare ingressi sunt Romani; navali certamine cum Carthaginensibus pugnantes, Cneo Duillio consule: & prima ejus victricia signa reportarunt, in quo bello Annibal senior, vix per fugam elapsus, & ad suos reversus, in crucem (b) *actus est, ob rem malè gestam. Interim M. Attilius Regulus, cùm tanto rerum successu trajecisset in Africam, & serpentem inusitatæ feritatis ac magnitudinis superasset, obsedit Carthaginem: & circumcirca latè victor, postea de pace rogatus, cùm respondisset superbiùs: à Xantippo duce Lacedæmoniorum, qui in auxilium Carthaginensibus venit, vivus capitur, occisis Romanorum triginta millibus. De pace autem remissus in patriam, & de permutatione captivorum, ut ageret, cùm ipse eam non suaderet: reditum verò hostibus esset pollicitus jurejurando: sanctè illud servavit,* (c) *& reversus est, extremo suo cum discrimine. Etenim Carthaginenses receptum Regulum, supplicio exquisitissimo, nimirum resectis palpebris, & conversis ad solem oculis (cùm eum includissent Machinæ, in qua undiq; præacuti eminebant stimuli) doloribus vigiliisq; perpetuis necarunt. Ob quam crudelitatem Romani longè fortiùs,* (d) *quàm anteà, Carthaginenses bello*

Sicilia.

Messana.

Primũ bellum Punicum.

An. M. 3708.

Hiero Syracus. Rex.

Appius Claudius.

Prima classis Romanorũ.

Cn. Duillius.

Hannibal senior.

An. M. 3715.

M. Attilius Regulus.

(b) — neq; enim lex æquior ulla, Quàm necis artifices arte perire suâ. Ovid.

(c) Malo mihi successum deesse, quàm fidem. Senec.

(d) Multis minatur, qui uni facit injuriam. Senec.

bello aggressi sunt, & de Sicilia deturbarunt primùm: pòst ad Aegeates Insulas ita compresserunt, Consule C. Luctatio feliciter rem gerente: ut jam Carthago in mari capta & deleta crederetur. Sed pacem cùm peteret Hamilcar (qui patriam viribus exhaustam videbat) salva mansit: Sicilia autem Juris Romani facta, prima fuit provincia, in quam Prætor Romanus mitteretur: & sic bellum Punicum primum finitum: Jani templi porta, secundò à Numa temporibus, per se clausa est: A. M. 3738. cùm continuis annis 23. bello se utrinq; fatigassent Romani & Carthaginenses.

Aegeates Insulæ.
C. Luctatius.
Hamilcar.
Sicilia prima Rom. provincia.
Iani templum 2. clausum.
An.M. 3738.

CAPUT VI.

DE BELLIS, LIGUSTICO, ILLYRICO ET PUNICO II. ET IN HOC DE HANNIBALE, FABIO, SCIPIONIBUS.

SEd populus Romanus impatiens ocii, convertit se à Pœnis, ad Ligures, propter locorum asperitatem, aditu difficiles: itemq; ad Insubres Gallos atq; Illyrios, quibus mulier Teuca tum imperabat: varioq; successu adversus omnes illos utitur, occiso inprimis Gallorum duce Viridomaro: quod audientes Carthaginenses receptis animis & viribus maluerunt omnem experiri fortunã potiùs, (a) quàm Romanos victores pati. Proinde ab Hispania (cujus imperiũ Carthaginenses primùm appetiverant) repetita fuerũt belli maximi gravissimiq; primordia, & secundum bellum Punicum conflatum A. M. 3754. Hannibal enim Hamilcaris filius, à patre juramento in odiũ Roma-

Bellum Ligusticum.
Bellum Illyricum.
Teuca Regina.
Bellum Gall.
Viridomarus.
Secundũ bellũ Punicum.
An.M. 3754.
Hannibal.

(a) Optima Iudex insolentia, varietas humana cõditionis. Valer. Maxim.

Romanorum adactus, statim trajecto amne Ibero, contra fœdus, Saguntum opulentam urbem, Romanis fœderatã, fame expugnavit, (b) *civibus hostium aspectum fugientibus & collatis in unum omnibus facultatibus suis, cum uxoribus & liberis, subjecto igni sese ultrò perdentibus. Hannibal relicto fratre Asdrubale cum pugnacissimis copiis, Gallias peragrans, Romanos, transitu se impedire conantes, avertit: post Alpibus fuso aceto ruptis (qua inde à Pœnis Pœninæ dictæ sunt) in Italiam venit, & cum Romanis atrocissima prælia quatuor commisit, ad amnem Ticinum, ad Trebiam fluvium, ad Thrasimenem lacum; ubi cæsa fuerunt quindecim millia Romanorum: & tandem ad Cannas, ubi quadraginta millibus Romanorũ occisis, detractos Equitum & Senatorum aureos annulos (quorum tres modii fuisse dicuntur) Carthaginem misit: & versus Romam progressus, obsidione aliquandiu eam tenuit: sed tempestatum injuriis repulsus, discessit in Campaniam, interveniente Dictatore Q. Fabio Maximo: qui datâ optione pacis & belli, suscepit bellum: & juveniliter exultantem Hannibalem cunctando* (c) *sustinuit aliquandiu fregitq;. Verùm cùm in agro Capuano, fertili admodum, luxuriaretur Hannibal: nec rei gerendæ incumberet: Romani facultatibus in publicum collatis, armis itidem animisq; receptis, virtute Marcelli consulis, eum repulerũt: post etiam morâ Q. Fabii (qui inde cunctator & imperii scutum nominatus est) vehementer attriverunt: Capua verò & Tarentum in potestatem Romanorum denuò redacta sunt. Marcellus interim Siciliam omnem, captis Syracusis (quas solertiâ* (d) *suâ Archimedes Mathematicus diu mirabiliter defenderat) sibi subjecit. Gracchus Sardiniam occupavit. Publius verò & Cornelius Scipiones fortissimi duces in Hispaniam*

Saguntus.

Sagũtini spontè percunt.

Alpes Pœninæ.

Hannibalis prælia in Italia.

Cannensis clades.

Q. Fab. Maximus.

M. Claudius Marcellus.

Syracusæ.

Archimedes Mathem.

Gracchus.

Scipiones.

(b) πολλῶν δὴ ὁ λίμος γίνεται διδάσκαλος. *Fame magistrâ multa comminiscimur.* Menand.

(c) *Multa bella, impetu calida, per tædia ac moras elanguere.* Tacit.

(d) *Multa, quæ impedita sunt naturâ, consilio expediuntur.* Liv.

niam missi, occubuerunt: quibus successit non minori virtute, Publius Scipio filius, A. M. 3761. Hic postquam Carthaginem novam Hispaniæ, Pœnorum prædâ opulentam, cepit: omnem ferè Hispaniam rereliquam ad partes Romanorum traduxit: Allucii Sponsam formosissimam ad se adductam, inviolatâ pudicitiâ (e) cum auro multo ad Sponsum remisit: & non tàm virtute bellicâ armisq; quàm Politicâ sapientiâ, animi moderatione ac benignitate populos illos infestos sibi adjunxit. Profectus etiam in Africam, Siphacem Numidiæ regem cecidit; & Asdrubalem jungere sese volentem cum fratre Hannibale prohibuit atq; fudit: unde Hannibal domum revocatus, & in universum ab Italia remotus est: cùmq; denegatâ pace, cum Scipione ad Zamam infeliciter conflixisset, amisso panè toto exercitu; pax iterum petentibus per legationem Carthaginensibus concessa fuit: & Scipioni nomen Africani cum triumpho datum est: & sic finis quoq; impositus secundo bello Punico, quod duravit annos 17, in quo Q. Fabii & P. Scipionis virtus enituit maximè: sed utergq; à tribunis plebis accusatus, eam pòst reportavit mercedem, quam mundus benè merentibus (f) perpetuò solet rependere.

Au.M. 3761.

Carthago nova.

Scipionis cõtinentia.

Politica prudentia.

Siphax. Numid. Rex. Hasdrubal.

Zama.

Scipio Africanus.

Ingratitudo Romanorũ.

(e) *--rara est adeò concordia forma Atq; pudicitia.* Iuvenal.

(f) *Nihil citiùs senescit gratiâ.* Aristot.

CAPUT VII.

DE BELLIS, ANTIOCHINO, PHILIPPICO ET PUNICO III.

HAnnibal interim fugiens Ephesum venit: inde sollicitato Antiocho, totius Orientis arma adversus Romanos concitare & transferre conatus est. Sed Romani non solùm instructissimas Antiochi copias unà cum sociis Aetolis primùm ad Thermopylas latè profligarunt: sed etiam eundem misso L. Scipione consule, universo cum exercitu, ad Magnesiam oppressum, fugatumq; Asia regno in universum exuerunt A. M. 3791. Scipio inde Asiatici nomen, (a) ut anteà frater Affricani, reportavit. Paullò antè Philippus quoque Macedonum Rex, præsentiens Romanos confectis bellis Punicis, in Orientem arma translaturos, suam stabilire potentiam conatus est: & Athenienses aliosq; Græcos gravissimè pressit. Sed hi impetratis à Romanis auxiliis, duce T. Quintio Flamminio, ad Cynoscephalos fuderunt Philippum, in regnum repulerunt, Græciaq; libertatem conservârunt, publico præconio pace in Olympiis declaratâ. Abydeni tum obsessi à Philippo, ubi nulla spes salutis superfuit amplius, cum liberis & uxoribus semetipsos interfecerunt: (b) & paulò antè Astapenses in Hispania, urgente Scipione, itidem perierunt. Philippus dum reparat novas copias, moritur: sed filio Perseo hoc institutum suum reliquit adversus Græcos atq; Romanos: at hi factis cum eo prœliis aliquot, tandem misso L. Aemilio Paulo, captum eundem cum uxore in Triumphum ducunt. Aemi-

Antiochus. Bellum Antiochinum.

Aetoli.

L. Cornel. Scipio Asiaticus.

A. M. 3791.

Bellum Philippicum.

Athenienses.

T. Quintius Flamminius.

Abydeni.

Astapenses.

Mors Philippi.

Perseus R.

L. Aemil. Paulus.

(a) *At non ingenio quæsitum nomen ab avo Excidet.* Propert.

(b) *Vehemens res est necessitas: & extremum periculum satis est, ad induendam audaciam: si cui non innata est.* Dionys. Halicarnass.

Tributa Romæ sublata ex prædis Macedon.

Æmilius omni Gazâ Macedonum potitus, tantum pecuniæ in ærarium Romanum invexit, ut Tributorum omnium finem, Populo Romano, uno die attulerit: in suam domum nihil aliud, (c) quàm nominis memoriam reportans: laudabili continentiâ ad omnem posteritatem exemplo.

Andriscus.

Iterum verò Andrisco Regnum Macedoniæ repetente & bellum instaurante, Romani & hunc fortissimè compresserunt: terq; subactam Macedoniam in provinciam redegerunt, & totius Asiæ aggredienda quasi portum quendam sibi patefecerunt Anno Mundi 3804.

Bellum Punicum III. Masinissa.

Carthaginenses autem nihilo segnius interim suum urgent institutum, omniaq; extrema contra Romanos moliuntur: ideoq; non multò pòst, specie quidem adversus Masinissam regem Numidarum: at reverâ contra Romanos bellum instaurant: quod fuit tertium bellum Punicum Anno Mundi 3823.

An. M. 3823.

Sed hi misso Scipione Æmiliano, superioris nepote, felicissimè hostes fundunt, & tandem Carthaginem in potestatem suam redigunt, urbemq; ingentem, populosam, & tot annis æmulam Romani imperii vastant, incendioq; XVII. dierum, Catone potissimum suadente & augurante, funditus delent, (d) Anno Mundi 3826.

Carthago deleta.

An. M. 3826.

Hannibalis interitus.

Hannibal autem, fax totius belli, ne cogeretur venire in manus Romanorum, hausto veneno in exilio extinctus est.

(c) *Nullâ re conciliare facilius benevolentiâ possunt ii, qui Reipublicæ præsunt, quàm abstinentiâ & continentiâ.* Cic.

(d) ἀποθνήσκουσιν αἱ πόλεις, ὥσπερ οἱ ἄνθρωποι. *Moriuntur civitates, perinde atq; homines.* Lucian.

(*)

CAPUT

CAPUT IIX.

DE REBUS JUDÆORUM SUB REGIBUS EXTERIS ET DOMI MACCHABÆIS.

Judæi constitutâ jam novâ imperii formâ in nova urbe & novo templo Hierosolymis, videlicet potestate Pontificũ & Ducũ, quibus etiam mixti fuerũt Reges (Asmonæi dicti) circa illa tempora præter magnas superiorũ temporũ calamitates, à vicinis (a) *quoq; gravissimis injuriis premuntur. Nam licet Persæ magno beneficio eos patriæ restituissent: Alexander quoq; Magnus, in honore ipsos habuisset: tamen successores ejus adversus Judæos fuerunt iniquissimi. Proinde & ipsi ad arma conversi sunt: ac primùm quidem Antiocho Epiphani sese opposuerunt A. M. 3798. Propterea quòd is per avaros & ambitiosos Pontifices maximè Jasonem & Menelaum, ingressus urbem Hierosolymam, eam spoliavit: templum diripuit: vasa sancta unà cum talentis mille octingentis abstulit: hominum in urbe circiter octuaginta millia,* (b) *tridui spacio trucidavit: Idolum Jovis Olympii in templo collocavit, & adorari jussit, captivos multos in Syriam abduxit, & nullum non savitia ac vastationis genus in miseram gentem exercuit. Unde Mathathias quamvis sacerdos & privatus, justa adversus Antiochum Epiphanem arma induit: furorem ejus repressit: patriam legem defendit, & post mortem quoq; filios suos quinq; & ipsos fortissimos, ad servandum summi DEI legem piè cohortatus est: è quibus cæteris præstantior Judas Maccha-*

baus

Judæor. Pontifices & Duces Reg. Asmonæi.

Antiochi Epiphanis furor. An. M. 3798.

Mathathias

Judas Macchabæus.

(a) Πῆμα κακὸς γείτων ὅσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ. *Tantum damni est ex malo vicino, quantum ex bono commodi.* Hesiod.

(b) *Avarus velut infernus omnia devorans, vellet nullum hominẽ esse: ut omnia solus possideret.* Augustin.

baus cognominatus, principatui Macchabaorum initium dedit, & maxima in armis virtute, Remp. instauratâ disciplinâ, rexit atq; conservavit: Encœnia recuperati templi celebravit: multaq; alia Heroica facinora patravit. Singulare tùm observantiæ legis DEI documentum dederunt filii illi septem in matris conspectu, quos acerbissimis suppliciis, tyrannus Antiochus abducere à cultu suo conatus est. Judæ successit Jonathas, qui ictum cum Romanis fœdus renovavit; (c) & Spartanos ex Abrahami semine progenitos sese dicentes, in mutuam amicitiam recepit. Eidem Simon frater, & filius huic Hyrcanus suffecti fuerunt, ac populum suum unà cum religione ejectis Idolis ac peregrinis nationibus contra finitimorum injurias tutati sunt, donec sub Joanne Hyrcano ortis variis sectis, inprimis Pharisaorum, Sadducaorum & Essæorum, corruptus iterum fuit cultus DEI & populus Judaicus vicinorum injuriis expositus: inter quos Ægypti Rex Ptolomæus Lathurus Judæam vastavit: triginta hominum millia occidit: matres cum infantibus trucidatas in frusta dissecuit: elixatos quoq; & coctos alios, aliis vescendos objecit: (d) immanem in Judæos savitiam exercens A. M. 3856.

Septē fratres Iudæi cū matre.

Ionathas.

Simon. Hyrcanus.

Sectæ Iudæorum.

Ptolomæus Lathurus.

An.M. 3856.

(c) πόλεως ἐγὼ πλῆστον ἡγοῦμαι, συμμάχους, πίστιν, εὔνοιαν. Vrbis opes esse existimo, socios, fidem, benevolentiam. Demost.

(d) --multaq; rubentia cade Lubrica saxa madent nulli sua profuit arma. Lucan.

CAPUT IX.

DE EXCIDIO CORINTHI ET NUMANTIÆ.

Romani.

ROmanis autem, postquam bella Punica, tantâ virtute & felicitate confecissent, omnes jam terra omniaq; maria patuerunt: quod dolentes (a) reliqui populi, novas subinde molestias

(a) Summa petit livor: perflant altissima venti. Ovid.

stias illis crearunt: cùmq; Corinthus intercatera, caput totius Achaia, Romanorum legatos tum contumeliosiùs tractasset: à L. Mummio consule, funditùs incendio deleta est: oppresso duce Critolao: ex quo incendio æs Corinthiacum conflatum, quo victor Mummius Italiam ferè totam locupletavit: ipse sibi non reservans tantum, ut propriis pecuniis filias honestè posset elocare: sed Senatus liberalitate ea in re opus habuerit. Stetit autem urbs opulentissima annis 952. donec Deo flagitia & scelera ejus puniente, (b) *à Romanis expugnata, exusta & funditùs deleta est, A. M. 3926. frustrà eam instaurante & exornante Julio Cæsare: cùm adhuc hodie Turcico tyranno servire cogatur, aliquoties capta & vastata: Carantho vel Gardos ab ipsis appellata. Hispani quoq; tum magno militum numero sese Romanis opponebant, confisi robore Celtiberorum: sed & hi latè ab illis fusi atq; oppressi fuerũt. Viriatus quoq; ex pastore venator,* (c) *inde latro, mox justi Dux exercitus factus, & Lusitanorum viribus confirmatus, copias Romanorum vehementer tùm quoq; afflixit: & per annos 14 frequentissimè victor, Romanos in armis tenuit, post à suis occisus, circiter A. M. 3825. Surgebat & alter Romani imperii terror post Carthaginem, Numantia, urbs potentissima Hispaniæ, quam Celtiberi tenebant: & gravissima cum Romanis ex ea bella gesserunt. Hanc cùm videretur Senatui pop. Rom. ejusdem operâ, qui Carthaginem deleverat, compescere: idcircò missus P. Scipio Africanus, restitutâ militari disciplinâ, Numantinorum vires fregit, urbem cepit, atq; evertit, victriciaq; signa ad usq; Gades transtulit, 14 post Carthaginem deletam anno: ubi admiranda venit hostium Numantinorum pertinacia simul & savitia: quod obsidionem 14 annorum partim fame, partim*

Corinthus Achajæ.
L. Mummius Critolaus.
Continentia Mummii.
An. M. 3926.
Carantho. Gardos.
Hispani.
Celtiberi.
Viriat. Lusitan.
An. M. 3825.
Numantia.
P. Scipio Africanus.
Gades.
Numantinorum pertinacia.

(b) ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. *Cernit Deus omnia Vindex.* Homer. *Adspiciunt oculis superi mortalia justis.* Ovid.

(c) *Nemo non rex ex servis oriundus: nemo non servus ex regib.* Plato.

partim ferro, partim igni, partim veneno, ita semetipsos una cum urbe confecerunt: ut ne unus quidem superesset, (d) *qui à victore Aemiliano, Romam in triumphum duci potuerit.* An. M. 3832.

(d) *Vna salus victis, nullam sperare salutem.* Virgil.

CAPUT X.

DE BELLIS ROMANORUM ADVERSUS ARISTONICUM, DALMATAS, GRACCHOS, ALLOBROGES, BALEARES.

Aristonicus.

ORientis res turbavit tum hæreditas regis Attali: cùm Aristonicus audaciter sese ei successorem faciens, Romanis molestus esse inciperet: sed rebus cum eo vario successu agitatis, tandem M. Perpenna fœdatis veneno aquis, victoriam Romanis, sed turpem retulit: Aristonico in carcere occiso. Cum Dalmatis quoq; Illyriis & Thracibus & servis multis conspirantibus in Sicilia: Gallaciis item & aliis, per consules Romanos bella tum foris gesta sunt, vario successu. At in ipsa urbe Roma, cum jam luxui & ambitioni omnia essent obnoxia, & Italicus ager totus à potentioribus occuparetur: Tiberius Gracchus Tribunus, vir disertus, (a) *Agraria legis suasor, unà cum fratre Graccho aliisq; sociis conjurationis, gravi seditione inter plebem & equestrem ordinem, motâ Remp. concussit: & in discrimen ultimum adduxisset, nisi virtute caterorum è medio sublatus fuisset. Foris quoq; Salii fœderatam Romanis urbem Massiliam, exagitabant: proinde & ipsi primi cis Alpes populi, Romanorum arma senserunt. Mittuntur*

M. Perpenna.

Bella Romanorum circiter An. M. 3850.

Gracchorum seditio.

Salii. Massilia.

(a) *Eloquentia in homine prædo, est venenum in poculo aureo.* Augustin.

etiam Domitius & Fabius Maximus adversus Allobrogas, gentem in armis exercitatam & Arvernos, qui Heduis Romanorum sociis erant infesti: è quibus Domitius Bituitum Arvernorum ducem in triumphum Romam duxit: Fabius autem Allobrogici nomen, ab illis devictis, retulit: unde acerbissimum inter illos populos & Romanos odium excitatum fuit: adeò ut non de finibus ampliùs aut de imperio: sed de vita atrocissimè inter se dimicarent. (b) *Emersit tum praeter bellum Balearicum, & quod cum Thracibus gestũ est, etiam alius Romanorum hostis in Africa, Jugurtha; homo callidus & versutus, qui cæsis filiis Micypsæ regis Numidarum, Adherbale & Hiempsale, (quibus cum tamen hæres regni scriptus fuerat) fortiter Romanis, defendentibus socios suos, se opposuit. Contra hunc missi Calpurnius & Metellus Consules, primò vires ejus utcunq; minuerunt: sed tandem (Marius, eundem aliquot prœliis victum, cum Bocho rege Mauritano filiisq; duobus captum Romam in triumphum adduxit; posteà laqueo vitâ in carcere privavit:* (c) *Regnum verò Numidia Pop. Romano subjectum est.*

Allobrogici bellum. Arverni. Hedui. Bituitus. Domitius & Fabius.

An.M. 3861. Bellũ Balear. & Thracic. Bellum Iugurthinum. Micypsa & filii.

Calpurnius & Metellus. Bocho Mauritaniæ Rex. Iugurtha lapsus. Numidia.

(b) *In comparatione odii ira festuca est: sed festucã si nutrias, trabs erit: si evellas & projicias, nihil erit.* Augustin.

(c) *Justa malis, hæc admissa pro crimine pœna est: Si quæ fecerunt eadem patiantur & ipsi.* Orac. Rhadamant.

CAPUT XI.

DE BELLO CIMBRICO ET TEUTONICO.

EAdem tempestate Cimbri atq; Teutones magnâ multitudine à Septentrione progressi, novas sedes quærebant in Italia: sed cùm Romani agros illis dare recusassent, excursionibus eos gravissimis exagitarunt, & magnus sæpè cladibus affece-

Bellum Cimbricũ & Teutonicum confectum. An.M. 3870.

affecerunt, multis subinde Romanorum ducibus, ut Capione, Manlio, Cassio aliisq; succumbentibus. Adversus hos igitur missus C. Marius Dictator, magno animo cum exercitu profectus est: erectâ tùm primùm aquilâ, quæ adhuc signum est Romani imperii, & Cimbros ingenti Virtute pugnantes (fœminis (a) quoq; eorum ad extremum Romanis sese opponentibus) oppressit: casis ad aquas Sextias, & alibi propè trecentis millibus Germanorum: secundum Florum & Eutropium: ex quo Marius Romam urbem ingenti metu, cùm liberasset; non solùm triumpho: sed & cognomẽto honorificentissimo donatus est à populo: ut tertius à Romulo & Camillo urbis conservator nominaretur.

C. Marius.

Aquila primũ facta signum Imperii Roman.

Aquæ Sextimæ.

Cimbri & Germani cęsi.

Marius tertius Pater patriæ.

(a) *Necessitas naturam instituit; quæ temporibus parens, se ad id, quod usui esse videtur, accommodat.* Diodor. Sicul.

CAPUT XII.

DE BELLO MITHRIDATICO, INTESTINO INTER MARIUM ET SYLLAM, DEQ; SERVILIBUS ET PIRATARUM.

Dum hæc Romæ geruntur, & seditio Apuleiana, bellumq; servile secundum; ut & Marsicum, cum seditione Drusiana alibi sedantur: & fœdus cum Parthis initur: Orientem diversa ex parte insidiis, cædibus fraudeq; populatur Rex Ponti Mithridates: erectus in spem totius Asiæ atq; Europæ (a) occupandæ. Erat enim vir potens, consilio, opibus & armis, qui linguas viginti duas calluit: & Medicinæ scientiam professus, Antidotum illud celebratissimum reperit, quod adhuc hodie Mithrida-

Seditiones & bell. servitia.

Initium belli Mithridatici. An. M. 3884. Mithridates. Antidot. Mithridaticum.

(a) *Fallitur augurio spes bona sæpè suo.* Ovid.

thridaticum dicitur. Hic interemit unâ die, unaq; Epistolâ octoginta millia civium Romanorum per Asiam passim negociantium: Legatum Romanorum M. Aquilium, & proconsulem Q. Oppium circumventos vitâ privavit: insuper Graciam invasit & Athenas cœpit. Adversus hunc, cùm L. Syllam ducem, populus Romanus deligeret; isq; feliciter rem gereret, Athenis recuperatis: agrè id ferens (b) *C. Marius, Remp. turbare cœpit, adjuvante Sulpitio: quod audiens Sylla, celeriter cum exercitu Romam reversus, civile bellum difficile & cruentum suscitavit, Mariumq; expulit: qui rursus in Affrica comparatis copiis, Syllanas partes multis cædibus graviter oppressit Romæ, una cum Cinna Collega suo. Hic Sylla iterum revocatus, pace factâ cum Mithridate, Romam rediit, & similiter Marianas partes, atrocissimè ulciscitur: pulso Mario, qui in exilio interiit; reliquis sociis dissipatis partim, partim ad violentam mortem adactis. Ex hac victoria insolentior factus* (c) *Sylla: cùm non solùm cædibus, verùm etiam proscriptionibus civium, omnia impleret; quorũ propemodum quinq; millia perierunt: Tribunitiam quoq; auctoritatem minueret, Dictaturam perpetuam meditaretur, Felix cognominari vellet: tandem & ipse, odio extremo* (d) *laborare cepit, ac deposito imperio, Phtiriasi periit: decem postea prætoribus Romæ creatis. Interim Sertorius quidam, profugus, ob Syllanas tabulas & Hispanicis armis confirmatus, Romanos gravi bello exercet, contra quem missi Metellus atq; Pompejus; adversa sæpè prælia fecerunt: sed tandem Pompejus desertum illum ac proditum à suis sustulit. Interea Mithridates majoribus comparatus viribus resurgit; cui opponitur L. Lucullus vir magni ingenii & prudentiæ: qui variè agitatum Mithridatem, tandem in pontum*

Res gestæ Mithridatis.

L. Sylla.

Bellum civile inter Marium & Syllam. An. M. 3854.

Sylla Felix Dictator perpet.

Interitus Syllæ.

Decem Prætores Romæ.

Sertorius.

Bellum Hispanicum.

Metellus.

L. Lucullus.

(b) *Maximè adducuntur plerique: ut eos justitia capiat oblivio: cùm in imperiorum, honorum, gloriaq; cupiditatẽ inciderint.* Cic.

(c) *Quidquid levè & mane in animo est, secunda aura sustollit.* Senec.

(d) *Malus est custos diuturnitatis metus: contraq; benevolentia fidelis est ad perpetuitatẽ.* Cic.

pontum fugere coëgit: regionem illam clausam hucusq; Romanis iterum patefecit: Tigranem Armeniæ regem generum & socium Mithridatis, unà cum ipso Mithridate ad urbem Cyzicum fudit atq; fugavit. In Italia gliscebant adhuc sociorum discordiæ, & bella servilia, (e) *non minùs infesta & formidulosa, quàm hostium longinquæ excursiones: Piratis quoq; omnem oram maritimam vastantibus & Cretensibus tumultuantibus: unde bellum Piraticum & Creticum tum emersit. Sed his omnibus malis opponitur Cn. Pompejus, felicissimus bellator; qui divisis copiis prædones per omnia maris ostia celeritate maximâ cœpit, aliaq; mala ingruentia compescuit. Succedens quoq; in Asia L. Lucullo adversus Mithridatem res maximas gessit, eundemq; coortâ inter milites ejus seditione eò angustiarum redegit: ut venenum hauserit, omniq; metu pop. Rom. liberaverit: Tigranem autem generum ejus supplicem factum in regno confirmârit, & gravissimo isti bello, quod duravit 45. finem felicem imposuerit: ipse ob rerum gestarum magnitudinem Magni nomen* (f) *consecutus.*

Tigranes Armeniæ R.

Cyzicus.

Bella Servilia & Piratarum.

Bellum Creticum.

Mithridatis interitus.

Cn. Pompejus Magnus.

(e) *Tot hostes, quot domi servi.* Senec.

(f) *Vnum insatiabiliter parandum, prospera sui memoria: nam cõtemptu famæ, contemnuntur virtutes.*

CAPUT XIII.

DE POMPEI BELLIS ORIENTALIBUS; DE BELLO GLADIATORIO, ET CONIURATIONE CATILINARIA.

INde memor Bacchi, Herculis, & Alexandri expeditionum idem Pompejus latissimè jam victor, totum Orientem cum exercitu peragravit,

gravit, inq; Judæam veniens eodem tempore, quo fratres Hyrcanus & Aristobulus inter se dissiderent, arbiter factus: Hyrcanum in administratione regni Judaici, Aristobulo prætulit captâq; Hierosolymâ & profanato templo, Aristobulum Romam secum adduxit: urbem ipsam tributariam fecit. Erant autem illi Alexandri filii, principis Judæi, qui filius superioris Aristobuli, cui primum Diadema regium fuerat impositum. His rebus omnibus peractis & Mithridatico bello jam confecto, Asia juris Romani facta est provincia, (a) *& Parthi Romanis confœderati facti fuerunt; nihilq; jam prater Indos Romanorum ignorabat imperium, circiter Annum M. 3894. Verùm cùm spretâ virtute cives Romani, paulatim Luxu, avaritiâ, ambitione, voluptatibus, aliisq; vitiis diffluerent, ut rebus secundis fieri solet,* (b) *mali mores in urbem introducti sunt, & factiones varia concitata: ex quo non solum gladiatores Lentuliani, qui Capua fuerunt, Romanis bellum intulerunt, duce Spartaco; quos tamen M. Licinius Crassus penitùs delevit, circiter annum M. 3909: sed etiam Patricii & alii magni in Rep. viri, cùm per luxuriam & libidinem bona sua prodegissent, nefaria & horrenda consilia agitarunt: qua tandem L. Sergio Catilinâ autore, in nervum eruperunt, Anno M. 3900. circiter. Hic enim spe occupanda opprimendaq; Republica accensus, & repulsâ consulatus exagitatus, laborans egestate* (c) *pariter, & pluribus aliis deterrimis viciis cum flagitiosissimis hominibus, inprimis Lentulo Pratore, nefario ausu conspiravit, & epoto humano sanguine optimos quosq; ad necem, urbem verò cum ærario ad rapinam vastationem incendiumq; animo toto destinavit. Huic occurrens, magnâ virtute, prudentiâ, atq; vigilantiâ, consul istius anni M. T. Cicero, vir eloquentissimus,*

Hyrcanus & Aristobulus.

Hierosolyma capta à Pompejo.

Asia Rom. subjecta.
Parthi.
Indi.
An. M. 3894.

Bellum gladiatorium.
Spartacus.
M. Crassus.

L. Serg. Catilina.
An. M. 3900.

Lentulus.

Conjuratio Catilinaria.
M. T. Cicero.

(a) *--- sic omnia Gerti Cernimus, atq; alias adsumere pondera gentes.* Ovid.

(b) *Admodum felicitatis & moderationis disciplinum est contubernium.* Valer. Max.

(c) *Est deforme malum, & sceleris proclivis egestas.* Sil. Ital.

Fulvia.
M. Cato.

mus, (d) *multiplices ejus conatus prudentissimè patefecit: conjuratos per indicium Fulviæ meretricis, partim comprehendit, & sententiâ Catonis in carcere curavit strangulari, ut parricidas: partim urbe cedere coëgit: maximoq; metu omnem liberavit Remp. ex quo & pater patriæ dici à populo Rom. meruit. Catilina verò socius conjurationis extremo jam supplicio affectis, foris erat in Hetruria cum C. Manlio; infestaq; arma patriæ inferre voluit: sed hunc M. Antonius Ciceronis in Consulatu Collega, animosissimè dimicantem, cruentâ victoriâ fregit,* (e) *patriamq; nefario parricidâ liberavit, A. M. 3910.*

Pœnæ conjuratorum.
C. Manlius.
M. Antonius.

An. M. 3910.

(d) *Cedãt arma togæ; concedat laurea lingua.* Ciceronis Symbolum.

(e) *Facta ducis vigent, operosaq; gloria rerum.* Ovid.

CAPUT XIV.

DE DISSIDIIS INTER POMPEIUM ET CATONEM, ET BELLO GALLICO C. JULI CÆSARIS.

AT nihilo secius principum Romanorum animos detestanda tenebat ambitio, (a) *quæ recordatione temporum Marii & Syllæ in graves discordias, eosdem præcipites dedit. Etenim Pompejus Magnus, dignitatem & autoritatem tot bellis partam, conservare volens, M. Catoni, majorum frugalitatem, patientiam, constantiam, continentiam urgenti, vehementer sese opposuit: cùmq; eodem tempore M. Crassus in maxima opulentia egens* (b) *ditior fieri vellet: C. Julius Cæsar autem ingenii, doctrinæ & armorum præsidiis confirmatus, & Alexandri Magni statuâ inflammatus, maximas*

Interitus Catilinæ.
M. Cato.
M. Crassus.
C. Iulius Cæsar.

(a) *Nulla magna civitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet; domi invenit: ut prævalida corpora ab externis causis tuta videntur; sed suis ipsa viribus onerantur.* Livius.

(b) *Semper avarus eget.* Horat.

quoq; res animo agitaret; facilè inter hos tres convenit, de invadendo imperio Romano. Itaq; Pompejo Hispaniæ, Cæsari Galliæ (quæ tum nondum penitùs Romano imperio parebant) obtigerunt: Crasso autem Parthi cesserunt. Sed Parthi capto Crasso atq; interempto, propter nimiam auri cupiditatem (quâ etiam templi Hierosolymitani, opes paulò antè absorbuerat) aurum liquefactũ in os infuderunt, misereq; eum (c) *sustulerunt. At Cæsar magnis itineribus veniens in Galliam, Helvetiorum primùm in Santonas emigrationem ad transitum Araris impedivit: Ariovistum Germanorum regem à Galliarum populatione prohibuit: Belgas, qui illum advenientem communibus armis exceperant, magnâ virtute fudit: flumen Rhenum facto ponte trajecit, ac Germanos in sylvas repulit. Oceanum pòst ingressus, Britanniam, ignotum Romanis orbem, bello tentavit, Ambiorigem Regem variè copiis suis persecutus est: Avaricum, Gergobeam, & Alexiam bello graviter afflixit: vindicem Galliæ libertatis, Vercingetorigem, diversos secum trahentem populos, magnis viribus fregit, & tandem Bellovacis caterisq; populis Galliæ devictis, Galliam hucusq; Romanis formidabilem, Romani juris provinciam fecit, & tres in partes distribuit, Belgicam, Celticam & Aquitanicam: ignotos etiam multos vicinos populos Germaniæ in lucẽ produxit, & suis appellationibus nobilitavit; annis novem bellum trahens, quo populos 300. subegit: tricies acie dimicavit,* (d) *oppida octoginta cepit, aliaq; gessit; de quibus ipse commentarios eruditissimos scripsit.*

Triumviri Rom.

Crassi mors singularis.

Bellum Galli cum Cæsare.

Ariovistus.

Pons in Rheno.

Britannia.

Ambiorix.

Vercingetorix.

Galliæ divisio.

Commentarii Cæsaris.

(c) *Avarus ipse miseriæ suæ caussa est.* Senec.

(d) τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν. *Prudens videtur ille, cui fors prosper.* Menand.

CAPUT

CAPUT XV.

DE BELLI CIVILIS INTER CÆSAREM ET POMPEIUM, CAUSIS, PROGRESSU, EVENTU.

Iulia Cæs. F.

Simultates inter Cæsarem & Pompejú.

Transitus Rubiconis fl.

Bellum civile inter Cæsarẽ & Pompejũ. Cæsar vincit Pompejum. Ptolomæus interfector Pompeji. Cornelia Põpeji.

ET hactenus quidem inter Cæsarem & Pompejum benè convenerat: ubi verò Iulia Cæsaris filia, non ita pridem Pompejo nupta, mortua esset: solutâ affinitate suspectæ vires utriusq; sibi invicem factæ sunt: metuente Pompejo Cæsaris opes: Cæsare Pompeji gratiam atq; dignitatem: inde simultates ortæ. Cumq; alter (a) *parem, alter superiorem ferre non posset: Cæsar consulatus repulsâ incensus, manifestè se jam Pompejo opposuit. Repertum fuit salutare consilium: uterq; ut arma deponeret: sed cùm nihilo minùs Pompejus, Cæsarem patriæ hostem decerneret: & S C. factum esset: Consules operam, ut darent: ne quid Respublica detrimenti caperent: Cæsar, nihil cunctatus, victor è Galliis cum exercitu in Italiam redit, & perinde ac aleâ jactâ, trajecto Rubicone, Pompejum consequitur, qui in Graciam profugerat cum optimatibus, Dyrrachiumq; tenuit. Inde reversus, ubi urbem defensoribus vacuam invenit; consulem se fecit: ærarium effregit: dignitates assumpsit: & provincias distribuit. Pompejum pòst longiùs fugientem insequitur: Hispanias componit: omniq; robore in Thessaliã translato, in campis Pharsalicis, cum Pompejo infestis signis concurrit, eumq; vincit: aliâ tamen voce in ipso prælio exclamans: Miles parce civibus.* (b) *Pompejus fugiens in Aegyptum, cum Cornelia conjuge & Sexto filio, Ptolomæi regis*

(a) τῶν πάντων κακῶν αἰτία ἡ δεινὴ φιλοπολεμονεξία καὶ φιλονεικία.
Omnium malorum caussa, cupiditas imperii & ambitio. Thucyd.

(b) *Major ex civibus amissis dolor, quàm lætitia fusis hostib.* Livius.

regis jussu (apud quem propter merita sua hospitium se tutum inventurum putaverat) exlens è navi, per insidias transfossus est: caput ejus amputatum, & in Aegyptum transportatum: cadaver autem in littore abjectissimè sepultum est: pænè in conspectu (c) *Hierosolyma, quam ante paucos annos profanaverat, ingressus Sanctum Sanctorum, dissuadente summo sacerdote. Interiit anno M. 3924. Venit eôdem Cæsar, ac Ptolomæo superato, regnum tradit Cleopatræ, adjutus ab Antipatro, quem multis pòst honoribus auxit: viso etiam ibi capite* (d) *Pompeji, ingemuit valdè, & honorificè illud sepeliri jussit: interfectores verò ejus sustulit è medio, & fanum Nemesis (injusta vindicantis Dea) ibidem extruxit. Conversus inde in Asiam, Pharnacem velociter oppressit: Romam profectus tertium consulatum arripuit. Pòst in Affricam properavit, ad belli reliquias conficiendas: ibi Cato & Scipio bellum instaurabant, cum Juba Rege Mauritaniæ: sed audientes, Cæsarem venire, Cato quidem Utica violentas manus sibi ipsi intulit:* (e) *confirmatus priùs Platonis libro, qui est de animo: unde Uticensis appellatus est: Scipio autem fractâ nave periit: Juba Rex in acie occubuit. Cæsar Romam reversus, quatuor diebus, quatuor triumphos egit, 1. de Gallis & Germanis. 2. de Aegypto. 3. de Pharnace Rege Ponti. 4. de Juba Affrica Rege. Postea ordinatâ Republicâ profectus est in Hispaniam: ubi Sextum Pompeji filium apud Mundam ferè comprehendisset: sed eo in Celtiberiam elapso, fratrem ejus Cn. Pompejum occisum, amputato capite* (f) *sustulit: & triginta millibus Pompejanorum cæsis, bello maximo finem posuit, Anno Mundi 3927.*

Pompeji interitus.

An. M. 3924.

Templũ Nemesis in Aegypt.

Pharnaces.

Cato Uticensis.

Scipio Pompejanus.

Juba R. Mauritaniæ.

Cæsaris triumphi 4.

Sextus Pompejus.

Cn. Pompejus.

An. M. 3927.

(c) ὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων τίσιν οὐκ ἀποτίσῃ. *Nullus homo pœnam sceleris reus effugit unquam.* Herod.

(d) *Nunquam populus Romanus, hostibus domitis victoriam suam exprobravit.* Flor.

(e) *Despectatio hominis da est anima.* Augustin.

(f) *At vindicta bonum, vitâ jucundius ipsâ.* Iuvenal.

LIBER

LIBER IV.

DE REBUS SUB MONARCHIA ROMANORUM.

CAPUT I.

DE MONARCHIÆ ROMANÆ INITIIS, NECE CÆSARIS ET CICERONIS, TRIUMVIRATU, DUUMVIRATU, ANTONI ET CLEOPATRÆ INTERITU.

Cæsaris opera pacis.

HIs rebus gestis Cæsar iterum domum rediit: & tentatam olim à Sylla Dictaturam (a) *perpetuam sibi asscripsit: Pontificiam & Tribunitiam potestatem ad se transtulit: non Regem, sed Imperatorem exercitus salutari se voluit: Rempublicam novis legibus atq; institutis confirmavit: annum ad solis cursum, operâ Sosigenis emendavit: Mensem Quintilem de suo nomine Julium dixit, & postremi summi Imperii sive Monarchiæ Romanorum fundamenta posuit. Verùm cùm honores qui antea populo deferebantur, ad arbitrium suum distribueret, venienti senatui non assurgeret, proq; libidine suâ alia omnia ageret:* (b) *excitatâ gravi invidiâ, & ex ea conjuratione Bruti*

Annus Iulianus.

Sosigenes Mathem.

IV. Monarchiæ Romanæ fundamēta.

Cassii & Bruti conjuratio.

(a) Μείζων ὅσῳ ἔσῃ, τόσῳ μετριώτερος ἔσῳ. *Quanto major eris, tanto moderatior esto.* B. Anshelm.

(b) *Publicus, hinc ardescit amor; cùm moribus a-*

quis Inclinat populo regale modestia culmen. Claudian.

& Cassii; tandem in senatu cùm jus redderet, perpetuâ administratâ Dictaturâ, tribus & viginti vulneribus confossus est, Anno Mundi 3928, Idibus Martiis, quas augur quidam ei cavendas monuit: sed Cæsar ridens; inq; curiam tum progressus, per contemptum dixit auguri: venisse Idus: cui ille respondit; venisse: sed nondum prætériisse: nam antequam prætérirent, (c) *interfectus est. Felix bellator, qui quinquagies collatis signis cum hostibus dimicavit, & undecies centena ac nonaginta duo millia hominum in prœliis occidit. At sublato Cæsare, abrogatâq; Dictaturâ, veluti olim regiâ potestate, occupato etiam à percussoribus Capitolio: & ἀμνησία atq; oblivione injuriarum perpetuâ, à M. T. Cicerone sancitâ: nihilominùs tamen civilia bella Romæ non conquieverunt: sed partim Octavius, Cæsaris hæres, partim M. Antonius ejus quondam collega, mox etiam potentiæ æmulus,* (d) *sequentia tempora valdè turbarunt. Nam cùm Antonius urgeret Monarchiam, & à senatu hostis esset judicatus; missus contra eum est Octavius; qui facto prœlio ad Mutinam, Antonium fudit, & ex Italia ejecit, pòst exercitum Romam adduxit; eamq; cum consulatu occupavit Anno Mundi 3929. Antonius autem operâ M. Lepidi Octavio reconciliatus est: & facti sunt hi tres, veluti triumviri totius imperii Romani; qui distributis inter se provinciis convenerunt in hoc: ut Syllanâ proscriptione revocatâ & oppressâ Repub. communibus viribus & Cæsaris percussores & suos quiq; inimicos aggrederentur. Hinc confestim M. Tullius Cicero, improbitate M. Antonii per Populium quendam crudeliter in fuga* (e) *interfectus est: capite cum utraq; manu præcisis, & in Rostris Romæ positis. sequuta sunt deinde alia multa atrocia in optimos quosq; Reip. defensores, & per Italiam*

Cædes Cæsaris. An.M. 3928.

(c) *Nunquâ denuntiata vanescunt.* Macrob.

Anthropophagia Cæsaris.

Ἀμνησία Ciceronis.

(d) *Insident homines, maximè paribus aut inferioribus: cùm se relictos sentiùnt; illos autem dolent evolasse.* Cicer.

Octavius Cæsari hæres.

M. Antonius.

Prœlium ad Mutinam. An.M. 3929.

M. Lepidus.

Triumviri imperii Rom.

Triumviri grassantur.

(e) *Mors & fugacem persequitur virum.* Horat.

M. T. Cicero necatus crudeliter.

Persecutio & cædes optimatum.

Italiam & per alias imperii provincias; conjungentibus sese Antonio & Octavio adversus percussores Cæsaris, Cassium & Brutum, quos bello persecuti sunt, & in campis Philippicis Thessaliæ devicerunt: qui etiam desperatione fracti, semetipsos jugulârunt iis gladiis, (f) *quibus antè Jul. Cæsarem confoderant: quod etiam mirabili vindictâ Dei intra triennium omnibus cæteris interfectoribus accidit. Hoc peracto, Antonius & Octavius, excluso Lepido, imperium Romanum inter se partiti sunt: ut Octavius occidentem, Antonius Orientem haberet. Ac licet Fulvia, uxor Antonii, adversus Octavium, maritum suũ instigaret: tamen cùm sub id tempus Sex. Pompejus armatâ manu paterna bona dignitatemq; repeteret: conjunxerũt se denuò & certioris fidei causâ, Antonius Octaviam, sororem Octavii in matrimonium accepit: Sextus autem Pompejus ab utroq; suppressus, & navali prælio in Sicilia ab Octavio deletus est. Pòst Antonius clade Parthicâ acceptâ, cùm evasisset: totus Cleopatræ Aegyptiæ amoribus deliciisq;* (g) *implicitus est: cùmq; consortium Octavii jam molestè ferret, & Octaviam ejus sororem repudiasset; grave bellum accendit: in quo utrinq; collecto exercitu, ad Actium Promontorium Epiri gravi certamine, uno die de summa totius orbis terrarum fuit pugnatum. In eo prælio superior factus Octavius, Antonium unà cum Cleopatra in Aegyptũ profligavit: ubi Antonius ab omni spe recuperandi imperii dejectus: cùm se obsessum videret, & ab omnibus sociis desertum; manus violentas sibiipsi attulit inter tres mulierculas sedens.* (h) *Cleopatra autem metuens triumphum, voluntariè (aspidibus scilicet sinistro brachio admotis) sibiipsi mortem conscivit: Aegyptus regionum omniũ opulentissima & negotiationibus in totum Orientem maximè*

Bellum Philippense.
Brutus & Cassius αὐτόχειρες.
Duumviri Octavius & Antonius.
Fulvia & Anton.
Octavia.
Sex. Pompejus.
Pugna ad Actium.
Bellum inter Anton. & Octavium.
Antonii interitus & Cleopatræ.
Aegyptus Rom. provincia.

(f) *Qui injuriã facit; recipiet id, quod iniquè gessit.* Colos. 3.

(g) *Non benè conveniunt, nec in una sede morantur Majestas & amor.* Ovid.

(h) *--- quid deceat, non videt ullus amans.* Ovid.

maximè oportuna, Romanorum provincia facta, Cornelioq; Gallo administranda tradita est. Cornel. Gallus.

CAPUT II.

DE OCTAVI IMPERIO, BELLIS POTISSIMUM PER DUCES GESTIS, ET LEGATIS AD EUM.

HIs rebus gestis Octavius, cum victore exercitu Romam ingressus, per triduum triumphavit: templum Jani clausit: (a) bellisq; civilibus, quæ triginta & amplius annis rem Romanam exercuerant, finem imposuit. Cùm autem animadverteret Octavius, multas gentes imperio Romano nondum subjectas: in quatuor orbis terrarum partes arma sua circumtulit: Et Ventidium quidem adversus Parthos misit, qui regem eorum Pacorum cum omnibus copiis, delevit: adversus Germanos Lollium, Drusum & Germanicum, qui in Saxonia, Thuringia, Rhetia, Vindelicis res variâ fortunâ gesserunt: inprimis Drusus, qui gentes ad Mosam, Rhenum & Albim adortus est: sed inter Salam & Rhenum fracto crure (b) Moguntiæ obiit: cui succedens Varus ob superbiam odiosus, à Germanis postea cum legionibus, duce Arminio, sublatus est. In Septentrionem legatos misit alios, inprimis Tiberium, qui ultra Danubium cum longè dissitis gentibus, nullâ locorum asperitate (c) aut fluminum interventu prohibiti, feliciter dimicarunt. Ad meridiem quoq; Getulos cum aliis populis exercitu suo subjugavit. Ad ortum Armenios

Finis bellorum civilium.

Ventidius.

Pacorus R. Parth.

Lollius.

Germanicus.

Drusus.

Varii clades.

Arminius.

Tiberius.

Getuli.

(a) *Suscipienda bella sunt, ut in pace sine injuria degatur.* Cic.

(b) *Quosq; neges, unquam posse jacere, jacent.* Ovid.

(c) *Qui è nuce nucleum quit, frágit nucē.* Plaut.

Armenii.

Lusitani.

Orbis pacatus.

Sarmatæ. Scythæ. Parthi. Seres & Indi.

Octav. dicitur Augustus. Mun. Plancus.

An. M. 3947.

menios longè latèq; compressit. Ipse in occidentem profectus, Hispanorum pugnaces gentes Cantabros, Asturos, Lusitanios, in ordinem unà cum Hispania redegit, eamq; Prætoribus administrandam tradidit. Tot tantisq; rebus divino planè successu (d) *gestis, orbis terrarum universus, quaquà versum patet, quasi communi quodam consensu conquievit, & ferocissimi quiq; populi, Sarmatæ, Scythæ, Parthi, relatis Crassi & Antonii signis: Seres quoq; & Indi, antehac Romanis nunquam visi, felicitatem Imperatoris Rom. suspicientes, legatos cum muneribus Romam miserunt, pacem petentes* (e) *atq; amicitiam. Jamq; tertiò à Numa, porta Jani templi clausa fuit, & Octavio, ex Munatii Planci sententia,* AUGUSTI *nomen (ob auspicatum & felicem in rebus successum) fuit tributum: ut & Cæsaris nomen testamento majoris avunculi: item Imperatoris: quæ eadem nomina adhuc hodie in successoribus durant. Gesta autem hæc sunt Anno Mundi 3947.*

(d) Θεῷ γὰρ οὐδεὶς εὐτυχέστερος. *Nullus beatus absq; numine est Dei.* Menād.

(e) *Ne contumaciā cum pernicie, quàm obsequiū cum securitate malis.* Tacit.

CAPUT III.

DE AUGUSTI OPERIBUS PACIS ET NATIVITATE JESU CHRISTI.

Opera pacis Augusti.

PAcato jam orbe, diligentissimè in gubernandam Rempublicam incubuit Augustus: bella non nisi irritatus & coactus (a) *justis de causis suscepit: populum & senatum munera sua obire passus est: ipse è populo prætor, è senatu consul electus: præsidem ac legatum misit: provincias omnes exercitu*

(a) *Prælia aut bellum suscipiendū omninò negamus; nisi cùm major emolumēti spes, quàm damni metus ostendatur.* Sueton.

prætorio ac legionibus idoneis communivit: annum Julianum neglectum correxit: Augustum mensem pro Sextili constituit: diem unum illi de Februario adjunxit: aureum currum unà cum corona sibi obviâ missum repudiavit: nomen DOMINI, *per publicum edictum recusavit:* (b) *cives & exteros in suam clientelam recepit: odia & dissidia inter eos sustulit: opes Reip. auxit: structuris, ludis omniq; apparatu magnifico omnia complevit: plebem* (c) *muneribus: militem donis: honoribus proceres: obsequio omnes ubiq; terrarum sibi devinxit: ita ut communis omnium parens, & urbs Roma, communis omnium populorum patria haberetur, & in eandem omnes urbis terrarum opes atq; ornamenta comportarentur: tuta ac libera quaquà versus esset peregrinatio: mercimoniorum omnium securitas, artium atq; disciplinarum omnium celebritas: atq; adeò aureum seculum toti mundo* (d) *redditum videretur. Cumq; Judæorum status, aliàs varius, jam quoq; tranquillus esset: & Antipater Idumæus (quem C. Cæsar Judæa præfecerat) per insidias sublatus, filiusq; Herodes auspiciis Octavii & Antonii, primus Rex externus Romæ coronatus esset: & postea per annos complures Romanorum cliens, Judæam teneret: sceptro à Juda ablato: cumq; jam totus orbis esset sub Augusto censendus: ecce nascitur verus* AUGUSTUS (e) *magnus ille & honorabilis Princeps pacis, Pater patriæ, Imperator exercituum summus, & salutis humanæ unicus instaurator,* DOMINUS ET SERVATOR NOSTER IESUS CHRISTUS, *in pago Bethleem, conceptus à Spiritu Sancto, in utero Beatæ Mariæ, semper virginis, Anno Mundi 3967: 25 d. Decembris, feriâ sextâ, sive die Veneris in solstitio brumali medio: Coss. Romæ ipso Cæsare Oct. Augusto & M. Plautio Sylvano: anno 24 Imperii*

Antipater Idumæus.

Herodes Ascalonitæ.

Jesus Christus S. R. nascitur.

An. M. 3967.

(b) *Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis.* Augustin.

(c) *--- sic acceptissima semper Munera sunt, autor quæ pretiosa facit.* Ovid.

(d) *Pace non modò iis, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atq; agri lætari videntur.* Cic.

(e) *Jam nova progenies cœlo demittitur alto.* Virg.

Sceptrum à Iuda sublatũ.

Imperii Augusti; cùm Herodes inchoaret annum regni sui 39: & Sanhedrin sive ordinarios Judices de domo Davidis occidisset, aliosq; Proselytos ipsis substituisset: ut quidam Historicorum & Mathematicorum luculentissimis rationibus demonstrant.

CAPUT IV.

DE AUGUSTI MORTE, TIBERI MORIBUS, ET INTERITU, DE CHRISTI EXINANITIONE ET EXALTATIONE.

Mors Augusti.

An. Chr. 14.

Cl. Tiberius Nero.

AB hujus ergo Servatoris nostri JESU CHRISTI *Nativitate, quod reliquum est Narrationis nostræ Historicæ porrò continuabimus: vulgarem retinentes Numerationem: licet ea integro anno à vera Christi Nativitate aberrare videatur: ut ne plurimarum rerum gestarum seriem notasq; confundamus. Composito igitur toto terrarum orbe, ut modò dictum, & præsente Christo, vero Imperatore ac Domino,* AUGUSTUS *Cæsar, cùm sex & quinquaginta annos imperium Roman. felici successu* (a) *gubernasset, decessit ex hac vita Nolæ in Campania, anno ætatis suæ 76, Anno Mundi 3982, Anno* CHRISTI *14: ingentem populo Rom. vim pecuniæ, cum multa felicitate: successorem verò Cl. relinquens Tiberium, qui Tiberii Neronis & Liviæ filius fuit, privignus ipsius & in filium ante decennium adoptatus. Hic factus Imperator, cùm naturâ crudelis esset, ingenium aliquandiu dissimulavit* (b) *matrem atq; Germani-*

(a) *Firmissimũ est illud imperium, quo obedientes gaudent.* Liv.

(b) Φύσιν τοιηρὸν μεγαλα-

Germanicum reveritus: & commodum facilemq; sese præbuit: præsertim erga exteros & provinciales, quorum præsidibus rescripsit: Boni pastoris esse, tondere pecus non deglubere. (c) *Sed post luxui ac sævitiæ indulgens: factus est immanis, turpis, rapax, crudelis, ex quo pro Claudio Tiberio Nerone, dictus est vulgò Caldius Biberius Mero, & lutum sanguine maceratum. Innocentes plurimos interfecit: & ex his principes viginti: nulli etiam propinquorum parcens. Ex quo cum invisus* (d) *esset cunctis; tandem C. Caligulæ insidiis sublatus, & corpus in Tyberim abjectum est; cùm vixisset annos 77, imperasset annos 22. mens. 2. Sub hujus imperii Anno 19* CHRISTUS *summus sacerdos noster, annum agens 34 seipsum offert victimam Deo patri; pro redemptione totius generis humani: (prodente cum Judâ discipulo, tradentibus Annâ & Caiphâ, caterisq; sacerdotibus, damnante Pontio Pilato præfecto Judæa) affigitur cruci à populo suo, moritur, sepelitur: resurgit, ascendit ad cœlos; Spiritumq; S. mittit: Rex, Dominus & gubernator Ecclesiæ suæ: & mox futurus Judex totius Mundi; cui sit laus & honor in secula.*

Mores Tiberii.

Interitus Tiberii.

An.M. 4008
An. Chr. 34

λεῖν δ' ῥᾴδιον.
Natura fuerit præva, vix curabitur. Naturam expellas furcâ, tamen usq; recurrit. Horat.

(c) *Tu civē patrēq; geras, tu consule cunctis, Non tibi: nec tuas se moveant, sed publica vota.* Claud.

(d) *Multos timere debet, quē multi timent.* Pub. Syr.

CAPUT V.

DE CALIGULÆ VITIIS ET INTERITU, DE MORTE PERSECUTORUM CHRISTI.

MOrtuo autem Tiberio in villa Luculliana (sub quo etiam Sejanus, primarius Aulicus, cum suis miserè periit: & Apitius, magnus ille lautitiarum author, ad inopiā redactus, venenum

Sejanus.
Apitius.

C. Cæsar Caligula.

An. Chr. 38.

Vitia Caligulæ.

Interitus.

Herodes Agrippa.

Herodes Antipas & Herodias.

Interitus hostium & interfectorum Servat. CHRISTI.

venenum hausit) succedit Cajus Cæsar Caligula, filius Germanici, à caliga sive calceamento sic dictus; qui relictas à Tiberio immensas opes, (a) vix dum anno vertente, totas consumpsit, homo ambitiosissimus; ut qui divinos sibi honores posceret: (b) statuas suas, submotis cæterorum Deorum imaginibus per provincias misit, etiam in templo Hierosolymitano collocari jussit: incontinentissimus simul, ut qui tres sorores suas, cum multis honestis matronis, crudelem in modum constupravit: atq; savissimus cùm in Tiberium Drusi filiũ, & Jubam Regis Ptolomæi consobrinum suum, itemq; senatores, & alios multos innocentes, quos jugulavit: tum verò in cunctum populum suum, quem unius cervicis esse optavit, (c) ut uno ictu eandem possit præcidere. Pestem, famem, cædes, incendia, terramotus & omnes calamitates, vivente se fieri, exoptans: Homerum, Vergilium, Livium, & Juriscoss. scripta passim exurens: totas denique legiones militum suorum neci objiciens. Unde factâ suorum conspiratione, (d) anno 3 imperii, è medio sublatus est, triginta vulneribus per militares Tribunos confossus, Anno ætatis 29. Patronus Herodis Agrippæ, cujus catenam ferream, quâ vinctus fuerat, in auream ejusdem ponderis mutavit: & Herode Antipâ cum Herodiade in exilium ablegatis, totius Judæa regnum tribuit: qui tamen superbiâ elatus, (e) cùm sibi ut Deo in theatro Cæsareæ passus esset acclamari, intestinorum dolore correptus subitò, & à vermibus erosus miserè periit. Sub hoc Pontius Pilatus exul, Annas, Caiphas, & multi Scribæ ac Pharisæi, infectores CHRISTI Servatoris, variis pœnis divinâ ultione sublati sunt.

(a) *Divitiæ grandes homini sunt, vivere parcè, Æquo animo: neq; enim est unquam penuria parvi* Lucret.

(b) *Nemo unquam, mortalium suffragiis, Deus effectus est.* Dio.

(c) *Quem metuit, timet, & quisq; perire cupit.* Ovid.

(d) *Quisquis vitam suam contempsit, tua dominus est.* Senec.

(e) ἀλαζονείας ὅτις ἐκφεύγει δίκην. *Pœnam arrogantiæ nemo effugit suæ.* Menand.

CAPUT VI.

DE CLAUDIO NERONE, GALBA, VITELLIO, SYLVIO CÆSAR.

HUic *succeßit Tiberius Claudius Drusus, Lugduni natus, quinquagenarius, nec planè malus: sed cùm luxui & savitiæ modum nullum poneret: & ipse veneno Agrippinæ uxoris submovetur, anno imperii 13. M. 8. Adoptavit hic privignum, innsitatæ Tyrannidis beluam, Domitium Neronem, qui dissimulato primum ingenio,* (a) *mox ad illud rediens, nefarias ac cruentas manus, matri Agrippinæ (cum qua incestam habuit consuetudinē) conjugi Octavia & Poppæa gravidæ, & Præceptori Senecæ intulit: urbis incendium, ad similitudinem ardentis Troja, videre gavisus est, aliaq; scelera perpetravit innumera, in pueros, in virgines Vestales, in mulieres: naturam & omnem humanitatem pervertens ac exuens, cùm in parentes & populares, tum etiam in Christianos, quos ferarum pellibus inclusos mutuam in lanienam concitavit, & ferro, igni & aquâ persecutus est: donec à suis in angustias extremas adactus,* (b) *fugitivus, inter summos conscientiæ terrores, hausto veneno, & manibus sibi ipsi allatis, interiit: Cæsarumq; nomini finem imposuit: anno imperii 13: cùm vixisset annis ferè 31. Eadem vitia exercuerunt etiam sequentes, Serg. Galbam, A. Vitellium, Othonem Sylvium; qui non ita diu imperio præfuère: sed suis dissensionibus, vitiis atq; sceleribus cùm sibiipsis interitum accelerarunt: (Galba in tumultu*

Tiberius Claudius Drusus.

An. Chr. 4[illegible]

Domitius Nero.

An. Chr. 5[illegible]

ἐμοῦ ζῶντος γαῖα μιν θείτω πυθ[illegible]

Serg. Galba.
A. Vitellius.
Otho Sylvius.
An. Chr. 69.

(a) *Qui necessitate magis, quàm voluntate ad vitæ temperantiam accedunt, si nihil sit, quod prohibeat, relabuntur ad ingenium.* Dionys. Halic.

(b) *Victima haud nulla amplior potest, Magisq; opima mactari Iovi: Quàm rex iniquus.* Senec.

multu occiso: Vitellio in Capitolio incenso pereunte: Othone seipsum confodiente) tum verò etiam exteris regnis, deficiendi à populo Romano, (itidem ut præcedentes) (c) *ansam dederunt, imperiumq; graviter afflixerunt: ita ut in toto imperio Romano tum nihil propè audiretur aliud, quàm sæva jussa Tyrannorum, continuæ accusationes, fallaces amicitiæ, innocentum persecutiones, cædes, exilia, proscriptiones bonorum: legum & honestatis contemptus, & plurima alia incommoda.*

(c) *Vis regnum tibi dari magnum, rege teipsum.* Senec.

CAPUT VII.

DE FL. VESPASIANO, ET TITO, DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANO, DEQ; DOMITIANO.

Flavius Vespasianus. An. Chr. 70.

HIs malis & calamitatibus remedium afferre (a) *conatus est Flavius Vespasianus, ex Flavia gente profectus, qui cum filio Tito res Romanas prudenter administravit, circiter annum Christi 70: Princeps pacificus, doctus, liberalis, laboriosus,* (b) *qui admonitus de valetudine sua, respondit: Imperatorem stantem mori oportere. Ejus tempestate cùm Judæi sub Agrippa, defecissent à Romanis: bello semel atq; iterum, hoc imperatore petiti fuerunt: donec tandem Titus filius, justo Dei judicio ac permissu, civitatem Hierosolymam occupavit, incendit, delevit: vindictam sanguinis effusi* (c) *& spreti Servatoris horribilem, à Judæis repetens, cujus excidii vix simile ullis in Historiis extat exemplum. Deleta*

Titus Vesp. filius. An. Chr. 79. Excidium Hierosolymæ An. Chr. 72.

(a) *Regia crede mihi res est, succurrere lapsis.* Ovid.

(b) οἱ πόνοι ὄψον τοῖς ἀγαθοῖς. *Labor viris probis loco est opsonii.*

(c) Σφῆσιν ἀπαθαλίησιν ὑπὲρ μόρον ἀλγέ' ἔχουσιν.

leta est autem Sancta civitas cum Templo augustissimo, & infinitis millibus populi Judaici, circiter annũ CHRISTI *72: ut esset perpetuum testimoniũ exhibiti Messiæ, & abolita Politiæ Mosaicæ, atq; exemplum iræ Dei* (d) *adversus omnem iniquitatem. Dehinc Titus gloriosum agens triumphum, cum patre de Hierosolymis deletis, templum Jani clausit: pacemq; in orbe denuò constituit, ac mortuo patri Vespasiano, tanta cum gratulatione omnium successit: ut amor & delitiæ generis humani diceretur; extinctus statim tertio anno* (e) *imperii ineunte. Hunc sequutus est frater Flavius Domitianus, valdè dissimilis, qui voluptatibus cædibusq; multùm est delectatus, Deum se appellari jussit: literas literatosq; odio prosecutus, crudelem & impium sese præbuit: unde tandem conjuratione suorũ domesticorum è medio sublatus est, anno imperii 15.*

Titus Flavius Domitianus An. Chr. 83.

(d) *Benignus Dominus, quasi mensurâ eadem ac trutinâ misericordiæ & justitiæ utens, ubi intellexerit, magnitudinem scelerum superare mensuram benignitatis: tum justâ animadversione ulteriores processiones coercet.* Theodoret.

(e) *Ne beatissimorũ quidẽ ullus facilè potest dicere, quamdiu talis est futurus.* Dion. Halicar.

CAPUT VIII.

DE NERVA, TRAJANO, HADRIANO, ANTONINO PIO, ANTONINO PHILOSOPHO ET COMMODO CÆSARIBUS.

SUccesserunt mutatâ vice meliores, (a) *Coccejus Nerva, vir integer & probus, qui annum unum imperium tenuit: & Ulpius Trajanus ex Hispania, primus princeps externus in Romano imperio, qui 19 annis illud tenuit, & Daciam, restituto Decebalo, Provinciam fecit: gentes ortum meridiemq;*

M. Coccejus Nerva. An. Chr. 97.

VLPIUS TRAIANUS. An. Chr. 97.

(a) *Æternâ quadã lege natura nunquam interturbãdecretum est: ut imperia Rerumpub. ab injustis possessoribus ad justos deferantur.* Dionys. Halicar.

Propriis peccatis ante tempus accersũt sibi mala homines. Homer.

Plutarchus Philosophus.

ridiemq; versus compescuit; & multum Plutarchi, summi Philosophi praeceptis confirmatus, Imperium Romanum praeclaris legibus (b) *ac institutis auxit & ornavit: ita ut ab eo Augusti tempora revocata, & imperium Rom. sub eo florentissimum crederentur. Decedens idem imperio, reliquit per adoptionem P. Aelium Adrianum, publicae tranquillitatis studiosum principem, ingeniosum atq; doctum, qui uno & eodem tempore potuit scribere, dictare, audire, & cum amicis colloqui, Graecè, Latinè, prosâ & ligatâ oratione. Idem militaria instituta pariter & literas bonas* (c) *amplexus est ac coluit: bella multa gessit: ac totum penè Orbem nudo capite peragravit. Moriens anno imperii 20 tradidit illud Antonino, Nemausi Galliae oppido nato, qui à morum sanctimoniâ Pius cognominatus est, Remq; publicam praeclarissimè, bello & pace annos 23 in summa tranquillitate & salute subditorum conservavit, per omnes provincias: à cadibus & sanguinis profusione ubiq; abstinens:* (d) *ita ut crebro diceret: Malle se unum civem servare: quàm hostes mille occidere: Orbemq; solâ autoritate suâ regeret. Hic moriturus sibi suffecit Marcum Aurelium Antoninum, à doctrina Philosophum nominatũ, qui circumspiciens, imposita sibi molis gubernandi magnitudinem primus Imperat. collegam ejus potentiae, Fratrem sibi adjunxit L. Aurelium Verum, cum eoq; annis 19 rei Romanae concorditer utiliterq; praefuit, bello & pace; eamq; plurimis ornamentis cohonestavit: Christianos milites etiam in suis cohortibus ferens. Occupato autem M. Antonino bellis Orientis atq; Septentrionis, tandemq; in Pannoniis mortuo, summo omnium subditorum desiderio, qui modestiam ejus* (e) *clementiamq; admirabilem essent experti: succedit ei filius L. Aurelius Commodus, dissimilis patri;*

P. Aelius Hadrianus. A. Chr. 117.

Tit. Antoninus Pius. A. Chr. 138.

M. Aurelius Antoninus Philosophus. A. Chr. 161.

L. Aurelius Verus Collega.

Duo primi Augusti.

L. Aurelius Commodus.

(b) *Hic erit optimus, hic poterit cavere rectè; jura qui & leges tenet.* Plaut.

(c) *In doctrina prudens inventus, unde sapiẽtior fiat: ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur: inde Princeps accipit, quẽadmodum subditos sub aequalitate disponat.* Cassiod.

(d) *Frustra se terrore succinxerit; qui septus charitate nõ fuerit; armis enim arma resistantur.* Plin. in paneg.

(e) *Solet dexteritas & benignitas morum in altiore dignitatis gradu facilè omniũ animos sibi reddere obnoxios.* Greg.

tri; qui deliciis, libidine ac variis cadibus, Neronis ac Caligulæ instar, pollutus, Reip. gravis fuit; & proinde anno 13 Imperii, operâ Martiæ, dato veneno, è medio sublatus, vel, ut alii volunt, noctu strangulatus est.

A. Chr. 180. Incommodus princeps.

CAPUT IX.

DE PERTINACE, JULIANO, SEPTIMIO, CARACALLA, OPILIO ET DIADUMENO, HELIOGABALO, ALEXANDRO SEVERO CÆSAR.

IN hujus locum vocatus fuit Ælius Pertinax, humili loco (1) *natus, aliàs bonus & doctus Princeps: sed quòd esset supra modum avarus, brevi & ipse, coortâ seditione militum, Imperium suũ altero mense finivit: locumq; dedit Didio Juliano Jurisperito, quem post sexagesimum quintum diem L. Septimius Severus, ob malè partum imperium, nempe per largitiones, è medio sustulit: & factus Imperator, Pescennium Nigrum & Clodium Albinum, æmulos imperii submovit, & annis 18 illud tenuit: bella gessit contra Parthos, Osroënos & Arabes: in Britannia vallum duxit à mari ad mare per milliaria Germanica 33. Habuit sub finem vitæ in ore illud: Omnia fui & nihil expedit.* (b) *Huic successit M. Aurelius Antonius Basianus Fil. à veste Gallica dictus Caracalla, maximo fratris Getæ odio & cade notatus; quem de matris collo pendentem interfecit in cubiculo, eandemq; vulneravit; quaob id ridere coacta est: & cùm*

P. Aelius Pertinax. A. Chr. 193.

Didius Julianus Iurisperitus Imper. L. Septimius Severus. A. Chr. 193. Pescennius Niger. Clodius Albinus.

M. Aurelius Bassianus Caracalla. A. Chr. 210.

(a) *Nulli præclusa est virtus; omnibus patet, omnes admittit: non eligit dominum, non censum: nudo homine contenta est.* Senec.

(b) *-- Mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula.* Iuvenal.

Papinianus Iuris asylum. Martyr.

& cùm Papinianus summus Jureconf. factum illud excusare nollet, dicens: Facilius esse parricidium patrare, quàm excusare: (c) *securi percussus est. Hic Juliam novercam uxorem duxit, audiens illud: si libet, licet: Patrem equitantem interficere voluit: Fratrem Getam occisum inter Divos retulit, superaddens: sit Divus, modò non sit vivus. Tandem cùm nihil boni faceret, ne quidem cogitaret; à ministro in expeditione Parthicâ pugione confossus est, anno imperii sui septimo.*

(c) Honestior est hæc vox, quàm servuli Plautini: *Indigna, digna habenda sunt, herus qua facit.*

Opilius Macrinus. A. Chr. 215.

Secutus hunc est Opilius Macrinus, scientiâ civili (d) *imbutus (nam per hanc doctrinam patebat tum ad imperium aditus) verùm quòd & hic malis artibus illud esset consequutus, à militibus Heliogabali, cum filio Diadumeno mense statim 14 sublatus fuit.*

(d) *Domus Iurisconsulti est totius oraculum civitatis.* Cic.

Diadumenus Fil. ejus.

M. Aurelius Varius Heliogabalus. A. Chr. 217.

Successit his belluinæ libidinis homo indomitaq; ferocia M. Aurelius Varius Heliogabalus, qui cum spurcitie superaret omnia monstra: Sardanapalum ageret: viris nuberet, ut fœmina: bonos ubiq; è medio tolleret, aliisq; immanissimis sceleribus sese polluerat: justo Dei judicio, anno 4 imperii, (e) *à suis occisus, & cum Matre, in cloacas projectus est: populo etiam abolitum nomen ejus, ex ordine imperatorum cupiente. Rebus Romanis hunc in modum miserè imminutis, laceratis, collapsis, domi foriscq; commendatum fuit imperium viro, doctrinâ, virtute, rerũq; usu præstanti Alexandro Severo.*

(e) *Non potest diu, quæ multorum malo exercetur, potentia stare.* Senec.

Aurel. Alexander Severus A. Chr. 221.

Hunc pium, literatum, cordatum ac severum Principem, quiq; sermonibus usurpari, parietibus inscribi, & per præconem proclamari jussit illud: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: (f) *qui etiam Ulpianum ICTum in tumultu militum sinu suo excepit, purpuraq; contexit: hunc eumq; anno 13 Imperii invidia odiumq; Maximini sustulit, unà cum matre Mammea prope Moguntiam.*

(f) *Vir bonus est, qui prodest, quibus potest; nocet autem nemini.* Cicer.

CAPUT X.

DE MAXIMINIS ET GORDIANIS, PHILIPPO ARABE, DECIO, VIBIO, VOLUSIANO, LICINIO VALERIANO, CÆSAR.

AB eo tempore multùm inclinavit imperium Romanum diversis & iis externis hominibus, loco humili & obscuro natis, artibus quibuscunq; dignitatem hanc invadentibus. Nam hinc Julius Maximinus, à corporis magnitudine ita dictus, è pastore, (a) Thraciæ miles: pòst dux, inde benevolentiâ exercitus Imperator factus fuit, statimq; filium C. Verum Maximinum sibi ascivit: sed Senatus Romanus, primùm Gordianos duos, Patrem & filium: posteà Puppienum & Balbinum imperatores ei opposuit; quod animadvertentes milites, cùm essent pertæsi crudelitatis illius, utpote qui quovis Cyclope, Busiride, Phalarique esset immanior, (b) & quo (testibus Historicis) nihil indignius aut tristius sol vidit in tanto fastigio, sustulerunt ipsum una cum filio anno imperii tertio. Sed cùm sublatis Gordianis inter Puppienum & Balbinum quoq; haud conveniret: interfectis illis, Gordiano admodum adolescenti Imperium est delatum; quod cùm tenuisset annos 6, resq; in Perside feliciter confecisset, (c) consilio soceri Misithei, viri sapientis, docti ac eloquentis, tandem circumventus insidiis Philippi præfecti, occiditur. Philippus autem Arabs ab exercitu Imperator creatus, imperium cum filio sex annis fermè obtinet: Christianam religionem amplectitur: millenarium urbis Roma

Julius Maximinus Thrax. A. Chr. 234.

C. Verus Maximinus, fil. M. Ant. Gordianus cum filio, A. Chr. 236.

Gordianus Iunior.

Philippus Arabs Imperat. Christianus. A. Chr. 243.

(a) --sibi quoq; præfectò Est Deus: ignavis precibus fortuna repugnat. Ovid.

(b) Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum. Cato.

(c) Invidos non habebit; si nihil ex magnis rebus habuerit, aut nihil feliciter gesserit: nam sola miseria caret invidiâ Valer. Max.

Philippus F. ἀγελαος.

Decius Tyrānus cum filio. A. Chr. 248.

Roma condita celebrat, ludis ac certaminibus praclaris: dumq; alia molitur, simul cum Philippo filio, (qui nunquam risisse scribitur) è medio tollitur. Ei substituitur Decius cum filio ejusdem nominis, qui Gothos, agrum quem inhabitarent à Romanis petentes, non satis felici successu aggressus est: unde ab iis primordiis, postea Gothi, cum aliis populis conjunctis, Imperio Romano multum negocii exhibuerunt. Sed & hi cùm magni essent Christianorum persecutores, anno secundo Imperii (d) *sublati: successores habuerunt Vibium Gallum, & Volusianum; qui & ipsi dignitate Imperii imminutâ, Scytharum regi primùm facti sunt tributarii. His occisis accepit Imperium Aemilianus Maurus, qui trium mensium Imperator Gothos profligavit: quo itidem sublato Licinius Valerianus calamitoso eventu Imperium tenuit: siquidem pugnâ cum Sapore, Persarum rege inferior factus, miseram apud eum servire servitutem* (e) *coactus est. Is enim Valeriano aliquot annis pro scabello pedum usus est, quoties equum conscendere voluit: & in extrema senecta, viventi adhuc cutem à cervice ad pedes detraxit: quæ fuit pœna horribilis tyrannidis, quam exercuit in Christianos.*

G. Vib Trib. Gallus & Volusianus. A. Chr. 252. Aemilianus Imperator. Licin. Valerianus. A. Chr. 251. Sapores Persarum Rex.

(d) *Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur: beneficiorum gratia sempiterna est.* Curt.

(e) *In servitutē de regno cadere, grave est.* Senec.

CAPUT XI.

DE GALLIENO, FLAVIO CLAUDIO, QUINTILIO, AURELIANO, CÆSARIBUS.

Licinius Gallienus. A. Chr. 254.

HUjus Filius Gallienus, quantumvis literis imbutus: tamen quòd deliciis ac voluptatibus mirum in modum esset deditus, &

Christianorum persecutor; nec hostes à populandis provinciis prohiberet: ideoq; 30 ferè juxta se Augustos, diversis in orbis partibus ferre coactus est; qui imperium Romanum variis incursionibus afflixerunt (a) *atq; dilacerarunt: donec in expeditione contra Aureolum prope Lugdunum occiso, Flavius Claudius, rebus Imperii, salutares manus adhibere conatus est: dum largiùs effundentes sese per Graciam Gothos, cohibuit: Aegyptum recepit: transiturus in Italiam Alemannos repressit; aliquot millibus eorum ad lacum Benacum fusis: aliaq; multa promittens, si vita diuturnior fuisset* (b) *Nam statim anno 2 imperii decedens, reliquit illud Quintilio fratri: sed cùm hic audivisset Valerium Aurelianum ab exercitu electum, multis venis incisis, voluntariam mortem Imperio pratulit, die illius 17. Aurelianus autem suscepto Imperio, Germanos primùm ad Moguntiam fudit: inde Gothos compescuit: postea adversarios Tetricum & Zenobiam fœminam eruditam & armis assuetam, cùm in triumphum duxisset,* (c) *& primus caput Diademate cinxisset, insidiis secretarii sui è medio tollitur, magnus Christianorum hostis, anno Imperii sexto.*

Triginta tyranni.

Flavius Claudius. A. Chr. 267

Quintilius frat. Cl.

L. Domit. Aurelianus. A. Chr. 268. Zenobia fœmina erudita.

(a) Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. *Multos imperitare malum est: Rex unicus esto.* Homer.

(b) *Fallitur augurio spes bona sapè suo.* Ovid.

(c) *Quem dies vidit veniens superbũ; Hunc dies vidit fugiens jacentẽ.* Senec.

CAPUT XII.

DE TACITO, FLORIANO, PROBO, CARO, DIOCLETIANO, MAXIMINIANO, GALERIO, CONSTANTIO CHLORO, CÆSARIBUS.

INterregnum pòst fuit aliquot mensium; militibus ac senatu Imperatoris eligendi potestatem ultrò citroq; referentibus: tandem tamen

Interregnum.

M. Cl. Tacit. A. Chr. 275.

M. Cl. Tacitus, vir integer, communi omnium consensu ad imperium evehitur. Sed mox à militibus sexto mense interimitur, eiq; frater Florianus substituitur. Cùm autem is diebus vix octuaginta quatuor Imperio præfuisset; interfectus à militibus suis, cessit M. Aurelio Probo, re & nomine Principi probo; qui oriundus è Dalmatia humili loco: sed virtute magnus, (a) *primùm Sarmatas & Germanos composuit: Proculum & Bonosum æmulos imperii profligavit: pòst alia pacis opera instituit: à bellis factus alienior: quod cùm animadverterent milites, sustulerunt ipsum, è medio, anno imperii sexto. Secutus hunc est M. Aurel. Carus Narbonensis, qui Numerianum & Carinum filios in administratione sibi adjunxit: sed ex Mesopotamia reversus, periit fulmine, secundo anno imperii: Carinum posteà Diocletianus sustulit, & Aper Numerianum. Itaq; res ad Diocletianum delata est, qui sævus in Christianos Tyrannus: consideratâ verò administrationis difficultate,* (b) *Maximinianum Herculeum Collegam sibi assciv it: uterq; deinde successores, ille Galerium, hic Constantiũ Chlorum elegit, singulisq; suas distribuerunt gentes, & munera: pòst Diocletianus Nicomediæ, Maximinianus Mediolani imperio sese abdicarunt, cùm regnassent annis 20: cùmq; Maximinianus se conaretur restituere; Massiliæ per Constantium interemptus est. Constantius verò princeps pius & Christianus, decedens Eboraci in Anglia filium reliquit Constantinum anno 10 imperii: sed Galerius rerum magnitudine prægravatus, Severum sive Probum & juniorem Maximinum sibi adjunxit: & huic Orientem & Affricam, illi concessit Italiam: Illyrios sibi reservavit. Interim factiosi milites* (c) *eligunt Maxentium Imperatorem, deposito Severo: Item Alexandrum in Affrica: in Orien-*

Florianus Fr.

M. Aurelius Probus. A. Chr. 267.

M. Aurel. Carus A. C. 282

Numer. & Carinus ff.

Diocletianus. A. Chr. 284.

Maximinianus Herculeus.

Constantius Chlorus. A. Chr. 304.

Quatuor Cæsares simul.

Galerius.

Maxentius.

Alexander.

(a) *Non est ista è magnorum principum virtutibus summa, sciendi, ubi quisq; sit genitus: sed qualis in Repub. fuerit.* Flav. Vopisc.

(b) *Magnũ est, personam in repub. tueri principis: qui non animis solùm debet, sed oculis servare civium.* Cic.

(c) *Maximus magister populus.* Cic.

Oriente Valentem: post quos ascitus fuit etiam Licinius, literarum ac literatorum extremus (d) *osor. Sed cùm hic adversus Christianos saviret gravius; à Constantino prioris Constantii filio mox summovetur.*

Valens. Licinius.

(d) *Docti ab indocti tantùm differunt, quantùm Deus ab hominibus.* Stobæ.

CAPUT XIII.

DE CONSTANTINI MAGNI IMPERIO ET EIUS LIBERIS.

HIc Constantinus, cùm ad imperium divinitùs, jussu Angeli vocatus fuisset; res in eo gessit plurimas & maximas: unde & MAGNI *nomen invenit. Ac initiò æmulos Imperii sui, hostesq;* CHRISTI *devicit: Gothos suâ virtute* (a) *ad pacis conditiones adegit: Maxentio deturbato, Italiam ac Romam restituit: agros militi veterano distribuit, & jure successionis ad posteros transferri sanxit: Byzantium præclaram urbem Thraciæ (quòd medium quasi terrarum esset) sedem imperii constituit, ad coërcendos facilius Orientis gentes; qua cùm loci opportunitate facilè & structurâ & opibus crevisset; ita ut altera seu nova Roma dici posset: tamen à nomine optimi Imperatoris, Constantinopolis nominata est. Hic primus fuit Romanorum Principum, qui repudiatis Ethnicorum erroribus, Majestatem unius ac veri* DEI *ex sanctissima Christi Servatoris doctrina publicè asseruit: Nicenam synodum celebravit: indictiones temporum loco Olympiadum instituit; ut essent spacium 15 annorum, ab anno* CHRISTI *315; aliaq; multa præclara annis triginta & uno in imperio Romano constituit. Pòst filii ejus tres, totidem in partes Imperium diviserunt: Gallias, Germanias, Hispa-*

Constantinus Magnus. A. Chr. 306.

Laus Constantini M.

Nicena Synodus. Indictiones Constant.

Filii Constantini tres.

(a) *Virtute nihil amabilius est; quod magis alliciat homines ad diligendum.* Cicer.

Constantinus II. Constans. Constantius A. Chr. 337.

Hispanias & Britanniam, Constantinus II. sibi sumpsit: Illyrios, Graciam atq; Italiam Constans: Orientem & Thraciam, Constantius sortitus est. Jucunda inter fratres & utilis distributio: si concordes esse potuissent. Sed bellis atrocissimis (b) *inter se commissis, externarum gentium excursionibus facilè fuerunt expositi: & ipsi quoq; brevi interierunt. Nam Constantinus portione imperii à patre traditâ non contentus,* (c) *Constanti fratri bellum intulit: & ab ejus exercitu, anno Imperii tertio, prope Aquileiam occisus est. Constans dum in Gallia venationibus ac aliis voluptatibus corporis indulget,* (d) *à Magnentio Comite, per sicarios obtruncatur; cùm regnasset annis 13. Constantius denique superato Magnentio, difficili bello (quòd fratrem Constantem interemisset) rerum quidem summâ potitus est, sublatis fratribus & aliis regni consortibus, Dalmatio, Gallo, Magnentio: sed cùm adversus Julianum Galli fratrem exercitum educeret; in itinere correptus febri ardenti extinctus est, anno ætatis suæ 45. Sub hoc puritas Religionis Christiana variis hæresibus contaminari cœpit: & novem formulæ fidei inter se dissimiles, receptæ.*

Magnentius Tyrannus. A. Chr. 350.

(b) *Nullum odium excogitari potest acrius, quàm consanguineorũ.* Tacit.

(c) *Rape, congere, aufer, possideo: relinquendũ est.* Martial.

(d) *Impia sub dulci melle venena latent,* Ovid.

CAPUT XIV.

DE JULIANO, JOVIANO, VALENTINIANO, VALENTE, GRATIANO, VALENTINIANO JUNIORE, THEODOSIO, HONORIO ET ARCADIO, CÆSARIBUS.

Cl. Julianus Apostata. A. Chr. 361.

Constantium sequutus est Claudius Julianus, qui Alemanorum triginta millia

apud

apud Argentoratum fudit: princeps doctus & eloquens, (a) *postea Christiana religionis desertor atque oppugnator factus, cognomen Apostata adeptus est: & multa impia in Christum scripsit dixitq; : tandem aggressus Persas, cùm extrema quaq; Christianis à reditu esset minitatus, calamitoso exitu interiit, transfixus telo; quod dum ex imis jecoris fibris evellit, hausto manu cruore, & in aërem projecto, exclamavit: vicisti tandem Galilae, vicisti:* (b) *saturare Nazarene, &c. quibus impiis vocibus emissis, periit; & Christianos omnes magno metu liberavit: cùm imperasset annum unum, menses septem. Milites statim ob nominis affinitatē Regnum detulerunt ad Jovianum, hominem doctum & Christianum, qui cum Persis necessariò magis,* (c) *quàm honestè transegit: nonnullâ Imperii Romani parte ipsis concessâ. Verùm cùm hic septimo statim mense imperii sui decederet: Valentinianus è Pannonia oriundus ab exercitu Imperator salutatus est; qui statim Valentem fratrem sibi adjunxit, & Procopium affectantem Imperium prohibuit. Hujus imperio Gothi Thraciâ excesserunt: Parthi è Syria expulsi sunt: Germani pacati: religio Christiana per celebres Ecclesiæ doctores propagata annis 12 fuit: quanquam Valens mortuo fratre, seductus ab uxore, partes Arrianorum secutus est: & cùm Scythas atq; Gothos temerè aggressus fuisset, incensâ domo, tandem interiit, anno imperii 14, cùm primùm omnes Theodosios, Theodoros & Theodatos vitâ expulisset:* (d) *edoctus vaticinio, habiturum se successorem, cujus nomen inciperet à literis Th. Valentiniano successit Gratianus filius: jam aniè vivo patre ad imperium adhibitus: ut & Valentinianus junior, ambo principes pii,* (e) *orthodoxi, docti, salutares, quorum ille Gratianus, Alemannos è Gallia expulit,*

(a) *Eloquentia in homine prava, est venenum in poculo aureo.* Augustin.

(b) *Non minùs peccant, qui blasphemant Christum, regnantem in cœlis; quàm qui crucifixerūt ambulantē in terris.* Augustin.

(c) *Melius est ignoscere, quàm post victoriam pœnitere.* Senec.

(d) *Qui sceptra duro sævus imperio regit; Timet timentes: metus in autorē redit.* Senec.

(e) *Est merito pietas homini tutissima virtus.* Virgil.

Blasphemia Iuliani. Interitus.

Iovianus A. Chr. 363.

Valentinianus. A. Chr. 375. Procopius. Gothi. Pax Christianis.

Valens Imp. Colleg.

Gratianus. A. Chr. 375. Valentin. Iunior. Alemāni circa Argentoratum fusum.

Ausonius Poëta.

expulit, & circa Argentoratum fudit, virtutis & pacis amans, gratus in Præceptorem (f) *Ausonium Poëtam, quem Consulem creavit: tandem insidiis Maximi, quem exercitus Imperatorem elegerat, extinctus est. Hic autem Valentinianus, sectatus veram pietatem, Hæreticos expulit, Eunomianos, Photinianos, Manichæos: sed noctu strangulatus in cubiculo, insidiis* ARBOGASTI *Alani interiit. Delectatus autem is literarum studiis, adjunxit sibi Theodosium, ex Hispania oriundum, optimum principem atq; prudentissimum: qui contra Gothos multa præclarè gessit: Tyrannos Maximum, Victorem, Eugenium, insurgentes magno successu cohibuit; & imperium Romanum multis præclaris institutis politicis & Ecclesiasticis* (g) *ita auxit atq; confirmavit: ut pristinum Majestatis suæ decus recuperasse videretur, annis illis septendecim, quibus ipse præfuit: portus & asylum omnium bonorum atq; piorum: Hæreticorum verò & improborum osor acerrimus: qui disputationes & Dialecticas pugnas in Theologia sustulit: & orthodoxi Symboli collectione atq; subscriptione pacem Ecclesiis restituit. Verùm non multò post illius discessum, casibus variis vehementer labefactatum fuit Imperium, sub Honorio atq; Arcadio, filiis, quos successores reliquerat, à tutoribus suis (privatam magis rem* (h) *quàm publicam spectantibus) variè circumductis: donec mortuo Arcadio ad Honorium omnis rerum administratio pervenit.*

Theodosius. A. Chr. 379.

Ejus res gestæ

Honorius & Arcadius. A. Chr. 395.

Leniter ex merito quidquid patiare ferendum est:
Quæ venit indignò pœna dolenda venit. Ovid.

(f) *-- Præceptorem sancti voluere parentis*
Esse loco. Iuven.

(g) *Vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemq; virtutum: ab ea enim vivendi doctrina ducitur.* Cicer.

(h) *Tu civem, patremq; geras: tu consule cunctis:*
Non tibi: nec tua te moveant, sed publica vota. Claudian.

(*)

CAPUT XV.

DE SYNCHRONISMO RERUM GOTHICARUM ET GERMANICARUM.

Tum temporis Stilico Vandalus, vir rei militaris peritissimus, Redagastum Gothorum Regem, in Italiam maximis cum copiis venientem, prostravit; qui tamen Gothi, resumptis viribus (a) *sub Alarico Rege, denuò superiores facti, atq; Romam conversi, eandem gravi obsidione cinxerunt, Honorio Ravenna desidente: Stilicone autem cum filio de perfidia suspectis, & è medio sublatis. Ibi Alaricus Romam (memorabili astu regressum simulans) cepit: captam devastavit, omniq; ignominia subjecit, Anno à nato Christo 414. Hujus tamen Collega & cognatus Adulphus, mortuo Alarico, Rex factus, conciliatur Honorio: ductâ in uxorem sorore ejus. Cogitabat hic sublato nomine, Romam, appellare Gothiam: sed barbariem suorum considerans Romani nominis gloria potiorem rationem habendam censuit: Gothi quoq; peragratis Galliis, in Hispania tum consedere: & mixtis Alanis Cathalaniæ nomen dederunt. Romanis tot tantisq; calamitatibus* (b) *ob scelera sua, ignaviam, vecordiamq; affectis, plaraq; gentes Septentrionis suis sese locis moverunt, & stabiles sedes quasiverunt: quas posteri sparsim per orbem terrarum hodieq; occupant. Quare iisdem temporibus è Germaniis, magnis copiis progressi Burgundiones, priscorum Sequanorum ac Heduorum agros ad Rhenum usq; occupârunt, quos à dispersis Burgis sive Castellis ita*

Stilico.

Redagastus Gothorũ R.

Alaricus Gothorum Rex.

Roma capta à Gothis.

Adulphus Gothorum Rex.

Gothi in Hispania.

Cathalania quasi Gothalania.

Burgundiones.

Burg. Castell.

(a) --- est incerti fallax fiducia Martis. Sil. Ital.

(b) Ad autores redit sceleris coactus culpa. Senec.

Franci.

Pharamũdus Fr. R.

ita appellatos ferunt. Sic Franci, altera Germanorũ pars, deonerare suos multitudine volentes, Rege Pharamundo, qui Marcomiri fuit filius, trajecto Rheni flumine, longiùs ad Sequanam (ubi Parisiorum ager fertilis) consedere & principatu aucti, longè per Gallias sensim Romanorum rebus collabentibus, (c) *regnarunt huc usq;.*

Anglosaxones.

Hengistus & Hersu fr.

Sic Anglosaxones Hengisto & Hersone fratre Ducibus, cum magna manu juvenum ingressi Oceanum, & ad littus Britannicum delati, sedes in Cantio promontorio Britanniæ habuerunt: ac paullatim rerum successu principatum stabilierunt: ex illis etiam quidam suis pulsi sedibus in adversum Galliæ littus ad Armoricas civitates, commigrarunt: unde linguam ac mores eorum etiamnum retinent. Atq; ita Romanis, à Transalpinis avulsis, totoq; Septentrione amoto, & diversis hinc inde principatibus crescentibus, (d) *miserè labefactatum fuit eorum imperium: ita ut tandem opem atq; subsidium à Cisalpinis & aliis petere, Romani necesse habuerint, quibus antea tot annis imperaverant.*

Armorica.

(c) *In omnibus continua est, tum generatio, tum corruptio.* Aristotel.

(d) *Augescunt alia gentes, alia minuuntur.* Lucret.

CAPUT XVI.

DE THEODOSIO JUNIORE, VALENTINIANO III. ET SYNCHRONISMO RERUM VANDALICARUM, GOTHICARUM, ATTALICARUM, ET IMPERATORIBUS OCCIDENTIS.

Theodosius Iunior A.C. 423.

DEcedente Honorio & Arcadio, filius ejus Theodosius Junior (qui Persarum regi

Isdigerdi in tutelam fuerat traditus) imperium consequitur, & Eudociam eruditam fœminam, (a) *uxorem duxit: cùmq; domi foriq; res magnas gessisset, & religionem Christianam variè juvisset, anno 42. Imperii decedit. Valentinianus interim III. Italiam occupat, in qua tum grassabatur Genfericus Vandalorum Rex, qui & ipse captam urbem Romam diripuit, magnasq; opes in Affricam transtulit. Hunni etiam gens Septentrionis eadem tempestate Pannonias, duce Attilâ, latè depopulati sunt, & Hungaris nomen dederunt. Idem Attila peragratis Germaniis, urbes ad Rhenum devastavit complures,* (b) *& in his etiam Argentinam, urbē fortissimam, quam perfractis mœnibus perviam fecit: & Strasburgam appellari voluit; unde civitati illi nomen mansit in hodiernū usq; diem. Postmodum ad alia vicina loca profectus, incredibili celeritate, magnas admodum impressiones fecit, damnaq; horrenda intulit: ita ut terror gentium* (c) *& Flabellum Dei diceretur. Sed hunc Aetius Romanorum dux, bellicis artibus clarus, in campis Catalaunicis, concursu ad Tholosam facto, gravi certamine superatum, abire coegit, ipse Aetius post à Maximo, Valentiniani jussu, interemptus. Sed Attila recollectis copiis iterum pervasit Italiam, & totā vehementer conterruit; precibus tamen Leonis victus remittitur. Veneti in Adriani sinus æstuaria profugientes, mediis in fluctibus, ad locum etiamnum celebrem, qui Rivvaltus nuncupatur, urbem extruxerunt amplissimam,* (d) *quæ suis legibus firmata, ex navigationum quoq; opportunitate, rerum copiâ & effluentiâ crevit, maximè & hodieq; floret. Interim varii urbis præfecti, qui Cæsares nominabantur, Roma grassantur potiùs, quàm dominantur: in quibus fuit Maximus, Avitus, Magoranus, Severus, Anthemius*

(a) *Omnem muliebribus detrahere virtutem, rationi repugnat.* Plato.

(b) πάσχειν κακῶς ἐχθρὸν ἀπ' ἐχθρῶν ὧδὲν ἀεικὲς. *Malè tractari hostem ab hoste, nihil absurdi.* Aeschyl.

(c) *Famâ bella constant: & sæpè etiam quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit.* Q. Curt.

(d) *Omnium rerum principia parva sunt: sed suis progressionibus usq; augentur.* Cicer.

Isdigerdes Pers. Eudocia Conjunx Theo.

Valentinianus III. A. Ch. 425.

Genfericus Vandal. R. Roma capta.

Attila Hunnorum Rex. Hungari.

Argentina. Strasburg.

Attila terror gentium, Flabellum Dei.

Attila victus ab Aetio Valentin. Duce.

Aetius interfectus.

Leo Rom. Episcop. mitigavit Attilam.

Venetiæ extructæ. Rivvalt.

Cæsares varii in Occidente.

mius Ricimer, Olybrius, Glycerius Nepos, Orestes: donec ad Augustulum Orestis Filium res rediit, quem Odoacer Rugiorum & Herulorum princeps, pòst Rex Italiæ, dignitate exuit, & Occidentem penitus ab imperio Romano avulsit, Româq; urbe iterum diruptâ, in Italia annis quindecim regnavit, anno Christi 476, Mundi 4446. Floret circa hæc tempora Arthurus Britanniarum Princeps, maximis rebus gestis, animi corporisq; viribus clarus: qui rotunda mensæ proceres convivas primùm adhibuisse creditur; ne qua esset in sessione (e) ambitio: Theodoricus item Bernensis, & alii celebres Heroës.

Odoacer R. Herul. A. Chr. 476.

Arthurus Britan. R. König Arthus Hoff.

Theodoricus Bernensis.

(e) *Ambitio furoris causa.* Bernhar.

CAPUT XVII.

DE MARTIANO, LEONE MAGNO ET JUNIORE, ZENONE, ANASTASIO DICORO, JUSTINO, JUSTINIANO: TUM INSTAURATIONE JURIS ET ECCLESIÆ.

IN Oriente sublato jam etiam Valentiniano, succedit Valerius Martianus, jam senex, strenuus aliàs ac bellicosus, qui Julium & Tatianum fratres administrationi rerum adjunxit: (a) cùmq; anno septimo imperii decessisset; sufficitur ei Leo primus, sive Magnus ex Græcis hominibus; qui ejusdem nominis, Leonem, filia natum, successorem reliquit, cùm annis 17 præfuisset imperio. Tum Byzantium sive Constantinopolis, incendio maximâ sui parte absumitur. Leo autem ille Junior, patri Zenoni coronam

Valer. Martianus. A. Chr. 450.

Leo I. seu Magnus. A. Chr. 457.

Constantinop. incensa. Leo Jun. A. Chr. 473.

(a) *Princeps faciliùs munia Reipub. sociatis laboribus exsequetur.* Tacit.

nam tradidit ultrò; quam etiam annis 17 obtinuit; tandẽ crapulâ sopitus, & vivus ab uxore sepultus:(b) Basilisco tamen Tyranno, qui ipsum ante hoc dejecerat regno, capto & in exilium misso, cum uxore: ubi ambo fame, & frigore perierunt. His temporibus & urbem Romam incensam tradunt, & supra mille ducenta librorum millia periisse, maximo humani generis incommodo autumant. Leoni ac Zenoni successit Anastasius Dicorus seu Silentiarius; sub cujus imperio Bulgari primùm sunt cogniti: & status Ecclesiæ sic satis turbulentus fuit, propter Eutychianos: nec Reipublicæ tuta conditio, propter tumultuantes Vandalos, Gothos & Vitalianum, qui in Oriente seditionẽ movit. Sed cùm imperasset annis 27 fulmine ictus interiit. Quem secutus est Justinus, humili è Thracia oriundus,(c) sed qui meliùs, quàm sperabatur, res administravit, & in Ecclesia & in Republica annis 7, & Justinianum filium sororis successorem fecit, qui virtute Bellisarii primùm Persas, inde Gothorum ac Vandalorum reges Vitigem & Gilimerum debellavit, & Africâ expulit: Totilam verò ab urbe Roma, & aliis civitatibus Italiæ captis, incensis, vastatis, vario successu repulit. Itemq; Narsetis ducis operâ & Longobardorum copiis instructus, eundem Totilam ac Tejum sævissimos hostes Romani nominis cum omnibus copiis delevit:(d) ita ut deinceps Gothicum nomen ex omni Italia sublatum fuerit. Quo confecto, Longobardis fertilissimum Insubriæ agrum & urbem Mediolanum, (quam antea Gothi vastarunt, plusquam 30000. hominum ibi occisis) concessit habitandum: qui iidem viribus atq; opibus ita creverunt; ut post Italiæ totius dominatum quæsiverint.(e) Fusis tot populis, cùm longè latèq; victor existeret Justinianus; ad munus imperii porrò stabiliendum, adjecit doctri-

nam

(b) Αἰ γυναῖκες ἐμποδὼν ταῖς Συμφοραῖς Εφυσαν ἀνδρῶν πρὸς τὸ δυσυχέστερον. *Mulieres semper in calamitatibus impediũt Viros, ita ut infeliciores fiant.* Euripid.

(c) *Solet Deus ex parvis magnos facere, & ex magnis parvos.* Iason apud Xenoph.

(d) *Ab alio expectes, quod alteri feceris.* Senec.

(e) *Aegrius ejicitur, quàm non admittitur hostis.* Ovid.

Zeno vivus sepultus. Basiliscus Tyr.

Incendium Romæ.

Anastasius Dicorus. A. Chr. 491

Iustin. Thrax A. Chr. 518

Iustinianus Cæsar. A. Chr. 52[illegible]

Bellisarius Dux Iustin. Gothi & Vandali victi. Vitiges Gilimer. Narses. Totila. Tejus. Longobardi.

Clades Mediol.

Ius civile instauratum.

Tribonianus Doroth. &c.

nam Juris civilis, temporum calamitatibus graviter suppressam: eamq; operâ Triboniani, Dorothei, Theophili & aliorum in unum corpus collegit; & in certa volumina Pandectarum, Codicis, Institutionum & Novellarum distinxit, opere immortalitatis memoriâ prosequendo. Ecclesias quoq; summâ pietate & curâ (t) constituit, & per Synodum Oecumenicam 5 præcipuas hæreses, Samosateni, Arii, Nestorii, Eutychis & simil. damnavit: magnificis quoq; structuris delectatus, multas passim urbes auxit & ornavit: inprimis Constantinopolin Sophiæ templo, quod hodieq; cum admiratione visitur.

Synodus Oecumen. 5. Hæreses damnatæ.

Templ. S. Sophiæ Cõstant.

(t) *Heu prima scelerũ caussa mortalibus ægris, Naturam nescire Dei.* Sil. Ital.

CAPUT XVIII.

DE JUSTINO JUNIORE, TIBERIO ANICIO, MAURITIO, ET TURCARUM ORIGINE: DE PHOCA, ET HERACLIO: DE MAHOMETE ET ALCORANO.

Iustinus Iun. A. Chr. 565.

DEcedit anno CHRISTI 565: *reddito imperio Justino juniori, sororis suæ filio, qui sublatis tributis (a) Persas composuit, atq; Tiberium Anicium per adoptionem sibi conjunxit; cùm imperasset annis 12. Hic cum Persis feliciter, deficientibus Armeniis, sed adversus Longobarthos, qui imminebant tum Italiæ, minùs prosperè pugnavit: unde potentia illorum novum in Italia Magistratum opposuit, quem Exarchatum dixit: & primum Exarchum sive Vicarium in Italia constituit Longinum. Decedens Justinus post annum imperii 7. Mauricio, simul*

Tiberius Anicius.

Exarchatus in Italia cœpit.

Longinus.

Mauritius. Imp.

(a) *Impia continui cessent augmenta tributi: Nec tua privatis crescant ærraria damnis.* Claudian.

simul cum Persis & Longobartis, Hunnos quoq; & Scythas & Cajanum Avarum sive Hungarorum ducem comprimendos tradidit, quem post vigesimum imperii annum, multis rebus fortiter, prudenter, moderateq; gestis, Phocas per insidias (b) *vitâ privavit, unà cum uxore & liberis in conspectu ejusdē sublatis. Sub Mauritio, Turcarū nomen primum fuit auditū, quos è Scythia prodeuntes, per Armeniam, Cappadociam, ac Pontum excurrisse primùm, & regna quasivisse, verisimile est: Phocas factus Imperator, avaritiæ ac luxuriæ fuit* (c) *deditus, nec provincias Imperii à Barbarorum incursionibus defendit: Romano tamen Pontifici januam patefecit ad primatum omnium Ecclesiarum: aliàs ineptus, indignus tanto fastigio. Itaq; ab Heraclio & Photio factâ conspiratione post annum 7 imperii horribiliter truncatus toto corpore,* (d) *sublatus est. Heraclius pius fortisq; princeps receptâ Aegypto, Syriâ ac Hierosolymâ, Persas profligavit, Cosroâ eorum rege superato, Arabum armis maximè: quibus cùm stipendia solita negarentur, Mahometis cujusdam Ducis illorum, hominis astutissimi, novâ atq; malitiosè ex diversis cultibus Religione constatâ (quam hodie Alcoranum vocant) & licentiâ armis qualibet occupandi datâ, brevi factum est: ut ipsi principatum sibi asseruerint; & Arabia, Syria, Aegypti, Persarumq; viribus aucti, totam panè orbem diversis temporibus exagitaverint; & adhuc exagitent hodieq; magna cum imperii Romani jactura atq; infamia: quos utinam compescat tandem altissimus, ad sui nominis gloriam, & Christianorum salutem.*

A. Chr. 564

Turcæ primùm auditi.

Phocas Tyr. A. Chr. 602.

Roman. Pontifex primatū init.

Heraclius Imp. A. Chr. 611.

Cosroës Pers. R.

Mahometes Turcarū Dux & Alcorani conditor.

(b) *--- ubi vincere apertè Non datur, insidias armaq; tecta parant.* Ovid.

(c) *Discite quàm parvo liceat producere vitam: Et quantum natura petat!* Lucan.

(d) *Tibi quod intristis excedendū est. Sic Getus verbū habet. Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber.* Auson.

CAPUT

CAPUT XIX.

DE ANARCHIA IMPERII, CONSTANTINO, CONSTANTE, CONSTANTINO POGONATO, JUSTINIANO II. LEONTIO, ABSIMARO, PHILIPPICO, ANASTASIO II. THEODOSIO III. LEONE III. CONSTANTINO COPRONYMO, LEONE IV. CONSTANTINO PORPHYROGENITO ET IRENE.

CÆterùm turbatæ tum per orbem res erant omnes, divulso meridie à Romanis, cum magna Orientis parte atq; Septentrionis: cunctis populis pro libitu agentibus quidvis, & Romano Imperio non solum parère recusantibus: (a) sed ultrò etiam illud armis hostilibus invadentibus, propter potentiam suam, quæ non modò Saracenos in Asia tota: sed & Hispanos in Affrica: & in Europa Germanos, Gallos, Britannos, Italos, Longobartos, ita armavit: ut nihil non vel contra Imperium Romanum, vel etiã adversus se invicem ipsi, audèrent. Itaq; Heraclio anno imperii 30 decedente, Constantinus filius sic satis afflictum accepit Romanum Imperium: verùm Martina novercæ insidiis, dato veneno, (b) paulò pòst interimitur, quæ ipsa cum Heracleone filio aliquandiu res cùm tenuisset, scelere cognito, à Senatu ignominiosè remota est cum filio (cui nasus fuit mutilatus: matri autem lingua præcisa; ne, ut erat eloquens,

Constantinus Fil. Heracl. A. Chr. 641. Martina. Heracleones F.

(a) Ἐκ τοῦ καταφρονεῖσθαι πολλαὶ γίγνονται τῶν καταλύσεων. *Ex contemptu plurimæ Rerumpub. eversiones oriuntur.* Aristotel.

(b) *Vbiq; mors est: optimè hoc cavit Deus: Eripere vitam nemo non homini potest: At nemo mortē: mille ad hanc aditus patent.* Senec.

quens, populum oratione flecteret ad misericordiam) & Constanti imperium delatum; qui idem tamen, cum Saracenis & Longobartis infeliciter dimicavit: cùmq; exactionum gravitate (c) crudelitateq; in Sicilia odiosus factus esset, insidiis quoq; suorum periit, ferventi aquâ in balneis perfusus, anno 27 imperii. Ei filius Constantinus 4 successit, qui pòst, cùm è Sicilia rediisset, ab enatâ barbâ Pogonati nomen consecutus est. Hic cùm fratribus Tiberio & Flavio Heraclijs, Saracenos fortiter repulit: navibus eorum, igne Graeco, h.e. sub aquis ardenti, artificio Callinici, incensis ac perditis, tributa persolvere coëgit: Bulgaros, gentem Scythicam, in Mœsiam abegit, & post annum 17 Justiniano 2 filio imperium tradidit, qui Arabas & Bulgaros imprudenter concitavit. (d) Cùmq; savitiâ suâ esset molestus subditis, nares amisit: unde Rhinotmetus dictus fuit. Leontii & Callinici operâ pulsus, ad Trebellium Bulgarorum Regem confugit, & ab eodem restitutus, inimicos suos ita ultus est: ut quoties nasum emungeret, toties unum ex iis occideret: vinctos etiam per urbem traheret, & pedibus cervices illorum calcaret: acclamante populo, super aspidem ambulabis: donec iterum deturbatus est, (e) & cum Imperio vitâ privatus: quod post eum suscepit Leontius; quem Tiberius Absimarus dejectum, & naribus detruncatis in Monasterium conclusit, pòst annis 7 Imperium per vim detinuerat. Hos consecuti sunt Philippicus, qui annis duobus praefuit; nec Bulgaros à Thracia repulit; sed Ecclesia pariter & Politia molestus fuit. Inde Artemius Anastasius secundus, qui Arabas tentavit: commodus & justus Princeps, per invidiam verò dejectus, (f) in Monasterio periit. Cui successit Theodosius tertius, dictus Adramittenus, pius & bonus, qui rerum difficultati succumbens, altero

Constans. A. Chr. 641.

Constantinus Pogon. A. Chr. 669.

Ignis Graecus Callinici.

Leontius. A. Chr. 696.

Tiber. Absimarus. 699.

Philippicus. A. Chr. 712.

Artem. Anastasius 2. A. Chr. 715.

Theodosius 3. A. Chr. 716.

(c) Princeps aurum adulterinũ existimet, quod cum subjectorum lachrymis collectũ est. Plin. Panegyr.

(d) Cave multos, si singulos nõ times. Fl. Vopisc.

(e) Quem sæpe casus transit, aliquando invenit. Senec.

(f) Invidiam quod habet, non solet esse diu. Proper.

tero statim anno imperium deposuit, monasterium ingressus; ac Leoni tertio Isauro sive Iconomacho cessit, qui Saracenos ab obsidione Constantinopolis repulit, & imagines CHRISTI, *Mariæ &c. è templis ejecit, & tandem post 24 imperii annum decedens, successorem reliquit Constantinum Copronymum, qui Bulgaris bellum intulit, & Artabasdum repositum, cum liberis, luminibus privavit, filioq; Leoni 4 æquè impio cessit, post annum imperii 35: cujus filius Constantinus Porphyrogenitus, cum matre Irene prudentissima atq; integerrima fœmina imperium administravit annis 10.*

Leo 3 Iconomachus. A. Chr. 717.

Constantinus Copronymus A. Chr. 741. Artabasdus. Leo 4. A. Chr. 775. Constantinus Porphyrog. A. Chr. 780. Irene Imper.

CAPUT XX.

DE CAROLI MAGNI IMPERIO, BELLI PACISQ; TEMPORE.

SEd jam dissipata erat Romani imperii potentia: Oriens à Saracenis multùm afflictus, nihil ferè poterat ampliùs: in occidente Exarchorum, captâ Ravennâ, nulla amplius erat autoritas, jamq; Longobarti totius Italiæ dominatu erant potituri. Nec minùs Pontifices Romani interea rem fecerunt, & fictâ donatione (a) *Constantini Magni patrimonium Ecclesiæ mirificè auxerunt. Cùm autem viderent, quæ à Barbaris sibi imminerent discrimina, evocarunt Cisalpinos principes, quorum jam magna erat potentia. Regnabat autem tum apud Francos & Germanos Pipinus, Caroli Martelli filius, qui Longobartos Italiam prementes pacem facere coëgit, & regnum*

Pipinus Gal. R.

(a) *Exitus manifestat, quod à principio celabatur: & quæ dubia sunt in origine, probantur à fine.* Hugo.

gnum stabilivit. Hujus deinde filius Carolus, ex rerum gestarum amplitudine, Magni nomen (b) *consecutus, rebus domi compositis, petente Adriano Pontifice, cum ingentibus copiis in Italiam venit. Is Desiderium, Longobartorum regem, in deditionem accepit: Insubriam præfectis administrandam tradidit, multaq; egregia per Rolandum sororis filium, animi corporisq; vtribus præstantem, effecit: quæ postea multis fabulis fuerunt involuta, & apud Germanos retenta. Necminùs in Germaniis adversus Saxones, & eorũ ducem VVittekindum, expeditionibus 24 factis, bella gessit:* (c) *itemq; contra Bavaros & eorum ducẽ Tassilonem, gentesq; confœderatas Soravos, Hunnos & Avares duxit: deinde in Galliis adversus Aquitanos & Vascones: in Hispaniis contra Saracenos: in Septentrione contra varias gentes res præclaras gessit: Italiam pacavit: & tandem communi consensu & acclamatione omnium Ordinum, Imperii Romani decus accepit, & Augustus nominatus est, Anno à nato Christo Octingentesimo. Quod imperium dignissimè gessit annis 14 per totum propè Occidentem: Germaniam maximè, Galliam & Italiam: Ecclesias piis & Orthodoxis Ministris constituens:* (d) *Scholas linguarum & artium erigens, cum primis Parisiensem Academiam: Collegia plurima ditans atq; exornans: privatim deniq; liberalitate ac munificentia suâ omnes sustentans. Ac licet multa quandoq; intervenerint mala atq; incommoda: tamen fortitudine suâ, sapientiâ, moderatione animi, humanitate, liberalitate, pietate inprimis, & retinuit dignitatem imperii, & ad posteros Germanos nunquam intermoritura cum gloria transmisit.*

CAROLUS Magnus.

Adrianus Pont. Max.

Desiderius Lohgobartorum R.

Rolandus Magnus.

Academia Parisiensis.

(b) *Cæterũ mortalibus in eo stant consilia; quid sibi conducere putent: Principũ diversa est sors: quibus præcipua rerum ad famã dirigenda.* Tacit.

(c) *Hæ sunt virtutes Imperatoriæ: labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiẽdo, consilium in prævidendo.* Cicer.

(d) *Subditi minùs injustũ aliquid sperant ab eo Principe se passuros, quem religionum deorũq; verentem existimant: & minùs eĩ insidiantur, ut tutores & adjutores habenti estimant Deos.* Aristot.

CAPUT

CAPUT XXI.

DE IMPERATORIBUS CONSTANTINOPOLITANIS, NICEPHORO, MICHAELE, LEONE ARMENIO, BALBO, THEOPHILO, MICHAELE IV. BASILIO MACEDONE, LEONE PHILOSOPHO, ALEXANDRO, CONSTANTINO IIX. ROMANO PATRE ET FILIO, NICEPHORO PHOCA, JOANNE ZIMISCE, ET COLLEGIS ULTIMIS.

Nicephorus. A. Chr. 802.

ORientis statum nomine tenus tum adhuc tenebat Irene, quam missam à filio in exilium (a) cives revocarunt. Nicephorus illâ depulsâ & omni posteritate Constantini Copronymi sublatâ avarè & crudeliter res administrat, annis 9: sed Bulgaris impressionem facientibus, cum suis opprimitur, & occiditur à Monacho: cui successit filius Fl. Stauratius: sed mox à Michaële Curopalate submovetur, qui Bulgaris anno 2 cessit, & in solitudinē abiit. Leo Armenius secutus, comparatâ de Bulgaris victoriâ, in rerum tranquillitate crudelis fuit: (b) ideò à Michaële Balbo per insidias anno imperii octavo sublatus est. Hic Michaël, Thomam tyrannidem appetentem compressit, & novem annis imperium tenuit; Saracenis interim Cretam Insulam occupantibus: quibus cùm filius hujus Theophilus, minùs feliciter dimicavit: & cùm prafuisset annis 15, Michaëli filio

Fl. Stauratius A. Chr. 811. Mich. Curopalites. A. Chr. 811. Leo Armenius A. Chr. 813. Mich. Balbus. A. Chr. 820.

Theophilus. A. Chr. 829.

(a) *Si jus violandū regni caussâ violare pulchrum est, in cæteris pietatem colas.* Eurip.

(b) *Violenta nemo imperia continuit diu.* Senec.

filio cessit, qui matrem Theodoram imperii consortem conclusit, ipse socordiâ & largitionib. res imprudenter tenuit, annis 24, donec à Basilio Macedone collega fuit submotus, (c) *qui potitus imperio, in Creta cum Saracenis dimicavit. Saraceni ex Affrica tum progressi, Italiâ pervastatâ, in Dalmatiam usq; latissimè excurrerunt, & Turcas dispersos hisce temporibus collegerunt, sibi mercenarios habuerunt, eorumq; operâ Babylonios ac Indos subegerunt. Post cùm his ipsis Turcis societatem, per Mahometanam religionem inierunt Saraceni, & conjunctis armis extera regna magno successu petiverunt: Saracenis quidem Aegyptũ & magnam Asiæ partem tenentibus: his verò Turcis, in Europam nostram irruentibus: quam mutuis dissidiis* (d) *laceratam, sua potentia post subjicere haudquaquam fuit difficile. Basilius tamen Macedo cùm imperasset annis 17, tribus filiis reliquit Imperium Orientis, è quibus Leo Philosophus (Astrorum peritus, ut & pater) à Turcis adversus Bulgaros habuit auxilia; cum Saracenis quoque bono successu conflixit. Cùmq; præfuisset annis 17, fratri Alexandro imperiũ reliquit, qui res præfectis, nullo delectu, adhibitis, cùm relinqueret gubernandas: luxu & ignaviâ maluit diffluere.* (e) *Ideoq; anno 2 ex ruptâ venâ & sanguine per nares pudendaq; effluente extinctus, Constantino reliquit Imperium, qui literarum pariter & rei militaris studiosus, oppressit Andronicum Tyrannidis invasorem, & Bulgaris restitit. Cùmq; anno 39 gravis ei foret administratio; ascivit sibi Romanum Lecapenum, qui imperium cum filiis Basilio & Constantino invasit: sed sublatis his, filio Leonis Romano id tradere coactus est, hic annis 16 tenuit illud: Saracenos Cretam occupantes, & Turcas per Asiam excurrentes cohibuit; matrem verò atq; sorores indi-*

gnè

(c) *Non capit regnũ duos.* Senec.

(d) *Vt singula hastilia facilè frangas; conjuncta non possu: ita dissidentes facilè superantur; concordes haud facilè.* Plutar.

(e) *Delicatus Gigas & ocium multũ præcũq; gignunt nutrimentum.* Plutarch.

Michael 4. A. Chr. 842. Theodora Imp. Basilius Macedo. A. Chr. 867. Saraceni, Turcæ.

Leo Philosophus. A. Chr. 8[illegible]

Alexander [illegible]

Constantinus A. Chr. 90[illegible] Andronicus Tyrannus. Roman. Iun. A. Chr. 919.

Nicephorus Phocas. A. Chr. 963.

gnè tractavit: cui succedens Nicephorus Phocas, cum iisdem Saracenis variè in Sicilia pugnavit: & cùm per Asiam longiùs eos sequeretur, Antiochiam recepit: exosus autem suis postea, propter avaritiam (f) *& socordiam, à Joanne Zimisce interimitur, post sextum imperii annum; qui adeptus imperium Collegas sibi adjunxit Basilium & Constantinum: Rhoxolanos gentem Scythiæ, capto rege eorum, à Bulgaria repulit: reversus Byzantium, veneno tollitur, & Collegis Orientis imperium reliquit, qui illud tenuerunt usq; ad annum* CHRISTI *1028, tenue quidem, concisum & variis fortunæ fluctibus agitatum.*

Ioannes Zimisces. A. Chr. 969.

(f) *Avarus ipse miseria sua caussa est.* Senec.

CAPUT XXII.

DE CÆSARIBUS LUDOVICO PIO, LOTHARIO, LUDOVICO II. CAROLO CALVO, LUDOVICO BALBO, CAROLO CRASSO, ARNULPHO, LUDOVICO IV.

Ludovicus Pius. A. Chr. 813.

IN Occidente autem, Carolo Magno Aquisgrani defuncto, successit Ludovicus filius; cui ex morum probitate Pii nomen (a) *datum est. Hic legatos multarum gentium excepit, & pacta cum Græcis fœdera, Leone imperium obtinente, confirmavit: cùmq; jam Moguntiæ moriturus esset, tribus filiis amplissimum imperium totidem in partes divisit; cùm præfuisset annis 26. Maximo nimirum natu Lothario dedit imperii munus, Italiam, Narbonensem Galliam & Lotharingiam, quæ ab eodem nomen obtinuisse*

(a) *Sù pius imprimis: nam cùm vincamur in omni Munere, sola Deos æquat clementia nobis.* Claudian.

Ludovici distributio imperii. Lotharingia à Lothario dicta.

obtinuisse creditur. Ludovico autem II. populos Germaniæ ultra Rhenum positos concessit: Carolo Calvo natu minimo interjectas terras, ad flumen Mosam & Galliarum maximam partem attribuit. Sed neque hac distributio satis felix erat. Etenim suscitatâ inter fratres discordiâ, infestis armis (b) *apud Fontanaicũ in Galliis concurrerunt; viribus autem debilitatis, utrinq; postea reconciliati sunt. Lotharius post ingentẽ dimicationem cum fratribus, in qua plùs quàm centum millia hominum occubuerunt, privatam vitam agens in Brumiensi Monasterio anno Imper. 15. Ludovico filio imperium tradidit, qui Saracenos fortiter ab Italia repulit, & annis 19 imperium tenuit. Carolus inde Calvus à Joanne Pontifice, creatus est Imperator: quem filii Ludovici Germanici, ad Andernacum bello gesto, superarunt, anno imperii 2: quo etiam, veneno dato à Sedechia Medico & Judæo sublatus est.* (c) *Pontifex ejusdem Caroli filium, Ludovicum Balbum primâ ætate Imperatorem facit: sed mortuo hoc in magna rerum difficultate, Carolus Crassus Ludovici Germanici filius sufficitur; qui Saracenos magnâ virtute profligavit, & Normannos à Galliarum populatione continuit, prœliis commissis: pacemq; cum illis fecit, eâ lege: ut Christianam fidem susciperent: datâ insuper filiâ Lotharii unâ cum Frisia, Godefrido duci Normannorum, tandemq; totâ Normandiâ concessâ. Depositus autem à Proceribus* (d) *& ad summam paupertatem redactus anno imperii nono, successorem reliquit Arnulphum fratris filium, qui Moravos est adortus, & Normannos à Rheni ripis prohibuit: ingenti pugnâ commissâ; in qua Normannorum centum millia periisse scribuntur. Æmulos habuit imperii Berengarium è Longobardorum Regum stirpe in Gallia togata: & Guidonem Spoleta-*

(b) *Ecce patrem nati perimunt, natosq; parentes: Mutuaq; armati coeunt in prœlia fratres.* Manil.

(c) *Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet: cùm etiã cavet.* Plaut.

(d) *Pauci contigit in principatu cõtinuò præsidere, & non rursus aliis fastidiã mutationem servire.* Josephus.

Lotharius Cæs. A. Chr. 840.

Ludovic. II. A. Chr. 855.

Carolus Calvus. A. Chr. 875.

Sedechias Iud.

Ludovicus Balbus. A. Chr. 877.

Carolus Crassus. A. Chr. 879.

Arnolphus. A. Chr. 887.

Clades Normannorum 100000.

Berengarius.

Gvido Spolet. Dux.
Italia ab imperio avulsa.
Carolus Simpl. Gal. R.

Spoletanum Ducem in Italia; quorum potentiâ demum Italia ab imperio avulsa est. Profugit ad hunc Carolus Simplex Gallia Rex Lud. Balbi filius, ab Othone Andegavensi pressus; qui tutorio nomine Galliam gubernavit: tandem Italia pacandæ causâ Romam reversus; & à Pontifice Formoso coronatus, ex pharmaco decedens (e) *anno 12 imperii, reliquit illud Ludovico IV. filio. Hic cùm Ungaris, Bavariam vastantibus apud Augustam Vindelicorum infeliciter conflixit: Italiam quoq; Lombardiam, Saxoniam & Thuringiam vidit afflictam: & Berengariorum tyrannidem expertus est: tandem anno imperii 12 extinctus. In hoc defecit stirps Caroli M. in Franconia, cùm imperasset annis 112.*

Ludovicus 4. A. Chr. 899.

Stirpis Carolinæ defectio in Franconia.

(e) *De filo putri hominum vita pendet.* Plutar.

CAPUT XXIII.

DE CONRADO SALIQVO, HENRICO I. AUCUPE, DE OTTHONIS FELICITATE IN BELLIS, STUDIO IN ECCLESIAM: DE OTTHONIS II. BELLIS ET INFELICIBUS PRÆLIIS.

Conradus Saliquus. A. Chr. 912.

Lex Saliqua in Feud.

Huic successit Conradus, cognomento Saliquus, quòd esset è gente Saliorum, hoc est, Francorum, qui ad Salam amnem imperabant, natus: unde etiam lex Saliqua in lib. Feud. contra mulierum successionem nomen invenit. Princeps strenuus, animo & corpore valens, qui adversarios suos & æmulos Arnulphum Bavariæ Regem, Burckhardum

Suevia ducem, virtute consilioq; (a) fregit & oppressit: Pannonias quoq; sibi oppositos profligavit, ac post annum septimum imperii, Henricum primum Aucupem Othonis Saxoniæ Ducis filium, successorem fecit, auxilio Procerum Germaniæ: eò quòd antè Otho ille ad se delatum imperium, ad Cunradum transtulisset, eiq; per Eberhardum fratrem insignia imperii misisset. Hic princeps cùm esset robore corporis, animi magnitudine, pietate, moderatione, consilioq; præstans, Arnulphum Bavariæ ducem compescuit: Ungaros ad Merspurgum memorabili prælio devicit: clamante ejus exercitu (b) κύριε ἐλέησον, κύριε ἐλέησον. Debellavit Dalmatas, Bohemos, Normannos, Danos, Obotritos: Brandeburgum Henetorum urbem expugnavit, & ibi Marchionem collocavit: quemadmodum etiam in Misnia atq; Lusatia adversus Bohemos, & Slesvici contra Danos, Marchiones, ceu Duces ac Tutores limitaneos, constituit: multos ex Barbaris ad fidem Christianam (c) convertit: spolia hostium ad pios usus Ecclesiarum, Scholarum & pauperum destinavit: unde pater patriæ dictus: tandem mortuus ac sepultus Quedlinburgi, multis rebus praclarè gestis, per annos octodecim, tradidit imperium Filio Othoni, primo hujus nominis ex Germanis. Hic coronam assecutus, adversarios habuit Eberhardum Palatinum ducem, & Giselbertum Lotharingiæ principem: qui quòd essent posteri Caroli M. & Francorum sibi imperium deberi putabant. Cum his multi sese conjunxerunt Episcopi, & ipse Henricus frater Othonis: ut eum dignitate imperiali exuerent: sed in extremo conflictu, cùm Eberhardus Palat. occubisset: Giselbertus fugiens in Rheno esset submersus; Henricus frater se dedidit Othoni, & ab eo Bavaria ducatum consecutus est: Episcopi monasteriis inclusi, partim puniti, (d) partim

Henricus I. Anceps Saxo. A. Chr. 9:0.

Henricus Anceps pater patriæ dictus. Otho I. sive Magnus. A. Ch. 936. Æmuli Othonis.

Prælia.

(a) Nulla consilia meliora sunt, quàm quæ ignoraverit adversarius antè, quàm facias. Veget.

(b) Flectitur iratus voce rogante Deum. Ovid.

(c) Prima mihi debes animi bona; sanctus haberi Iustitiaq; tenax dictiq; factiq; mereri. Iuven.

(d) Vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quàm clericos. Hieronym.

partim in gratiam recepti sunt. Parem exitum habuit quoq; altera conspiratio Ludolphi filii, cum Friderico Moguntino, Conrado Lotharingo, &c. quos omnes devictos veniâ supplices petere coëgit. Post multa alia, varia & periculosa bella gessit Otho, contra Ungaros, quos penitùs Bavariâ expulit: contra Saracenos in Calabria & Apulia: contra Berengarium in Italia; quem fractum tandem cepit, & Bambergam relegavit: rebelles autem cives Romæ obsedit, & Leonem Pontificem restituit. Adelbertum quoq; Berengarii filium res novas in Italia molientem, expulit: inde & seditiosos conjuratosq; suppliciis (e) affecit: Ravennâ Pontifici donavit: Nicephori Constantinopolitani Imper. legatos audivit: pacem cum eo fecit, Theophaniâ privignâ filio Othonis desponsatâ: Ecclesias & Episcopatus complures condidit: & in his Brandeburgensem, Havelburgensem, Misnensem, Cizensem, Magdeburgensem, eiq; primatum in omnes Ecclesias per Germaniam tribuit; urbe Magdeburgâ multis privilegiis dotatâ; ubi & sepultus est, postquam annis 36 gessit Imperium. Huic successit filius Otho 2: qui & ipse Henricum Bavarum rebellantem habuit, ejusq; ducatum Othoni Suevia duci (f) tradidit: Bohemos tumultuantes compressit: Pataviam urbem unâ cum Frisingensii Episcopo cepit: Lotharingiam Carolo Lotharii fratri tradidit: à Lothario clade affectus, Galliam cum exercitu invicem vastavit. In Italia Hetruriam & Calabriam volens recuperare cum Græcis & Saracenis dimicare coactus est: quo in prælio desertus à Romanis & Beneventanis, fugiens à Nautis comprehensus est, (g) & parvâ pecuniâ, cùm esset ignotus, iterum dimissus: copias celeriter contraxit, quantas potuit; & repetens bellum, Saracenos ad internecionē usq; delevit, dictus ex hoc PALLIDA MORS Saracenorum.

Victoriæ.

Pietas Othonis.

Mors. Otho II. A. Chr. 973.

Bella.

Calamitas.

Otho 2. Pallida Mors Saracenorum.

(e) Est utilius, unius improbi supplicio multorum improbitatem coherere, quàm propter multos improbos uni parcere. Cicer.

(f) Time Dominū, fili mi, & regem: & cum seditiosis ne miscearis: quia subitò veniet exitium eorum. Proverb. 24.

(g) ὡς ποικίλον πρᾶγμ' ἡ τύχη καὶ πολύτον τύχη. Fortuna quàm res varia, quàm volubilis. Menā.

Saracenorum: mortuus Romæ anno imperii 10, & in templo S. Petri sepultus.

CAPUT XXIV.

DE IMPERATORIBUS CONSTANTINOPOLITANIS, BASILIO, CONSTANTINO IX. ARGYROPYLO, PAPHLAGONE, CALAPHATE, ZOE, CONSTANTINO MONOMACHO, THEODORA, STRATIOTICO, COMNENO, DUCA, EUDOCIA, DIOGENE, PARAPINACEO, BOTONIATE, ALEXIO COMNENO, ET CALOIOANNE.

IN Oriente Turcæ rerum successu confirmati, graviùs afflixerunt Imperium, quàm antea. His duo Collega fratres Basilius, & Constantinus fortiter sese opposuerunt: sed domesticis malis multùm impediti fuerunt: maximè Joanne Zimisce in imperium sese intrudente. Unde Basilius profectus est in Bulgaros, iisq; superatis, regionem eam totam principatui Orientis adjecit, tandemq; decessit; cùm imperium annis 50 cum fratre Constantino tenuisset, qui anno tertio pòst ad gubernationem ineptus, utpote omnia committens (a) præfectis & administris, tandem cessit Romano Argyropylo. Hic ductâ in uxorem Zoë filiâ Constantini, cum Saracenis infeliciter pugnavit; pòst avaritiæ & ignavia se dedens, ejusdem Zoës insidiis sublatus est, anno imperii 5. Ejus adulter

Successus Turcarũ in bello.

Basilius & Constantin. Imp. Orient. A. Chr. 963.

Constantinus 9.

Romanus Argyrus vel Argyropylus.

Zoë Imperatrix.

(a) *Ubi summus Imperator non adest ad exercitũ; Citiùs, quod non facto est usus, fit, quam facto est opus.* Plaut.

Michaël Paphlago.

Michaël Calaphates.

Constantinus Monomach.

Theodora Imperatrix.

Michaël Stratiot. vel Stauract.

Isaacius Comnenus.

Constantinus Ducas.

Eudocia Imperatrix.

Romanus Diogenes.

Michaël Parapinaceus.

Nicephorus Botoniates.

Alexius Comnenus.

Calojoannes Comnen.

ter Michaël Paphlago, Barbarus, pactis cum Aegyptiorum rege induciis, annis septem imperium tenuit: pòst Zoë in adoptionem Michaelem Calaphatem, avarum & crudelem hominem recepit, qui Zoën in exilium misit: sed cives eandem (b) *revocantes, Michaëlem oculis privarunt, Zoës & sororis Theodoræ imperio contenti. Hæc Constantinum Monomachum Imperatorem esse voluit, hominem effœminatum; qui etiam seditionibus domesticis exagitatus, tandem anno duodecimo imperii, oculis privatur: quo tempore Turcæ per Asiam longè latèq; excurrerunt. Theodora deinceps, mortuâ Zoë, Imperium aliquandiu gessit, adjuncto sibi Michaële Stratiotico; qui senex dejectus est ab imperio. Pòst apud Orientales in existimatione erat Isaacius Comnenus; cujus virtute videbatur principatus ille reparari potuisse: nisi circiter annum tertium ex pœnitudine factorum* (c) *ingressus Monasterium Constantino Duca, consensu Senatus atq; populi Constantinopolitani, Imperium tradidisset. Et hic sanè res domi foriq; componere sategit, annis septem: nec à studiis literarum alienus fuit. Ejus uxor Eudocia simul cum filiis Michaele Andronico & Constantino succedens, rebus laborantibus, in societatem administrationis & conjugii, sibi adjunxit Romanum Diogenem; qui à Turcis captus, factâ pace, cum muneribus remittitur. Interim Michaël Parapinaceus Constantini Ducæ filius & Pselli discipulus, admissus est ad imperium: & cùm Romanus conaretur sese restituere, oculis privatus est. Languescente autem ignaviâ* (d) *Michaele isto, post sextum ejus Imperii annum, Nicephorus Botoniates successit: quo itidem anno tertio pulso, Alexius Comnenus receptus est; qui variis rebus annis 33 gestis, extructis Orphanotrophio & Musæo; tandem imperiũ tradidit filio Calojoanni; qui sic satis felix Scythas, Turcas, Persasq; devicit.*

(b) *Nullum profundum mare, nullum vastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus: quantos multitudo motus habet.* Q. Curt.

(c) *Non est sapientis dicere, non putaram.* Cic.

(d) *Turpe duci, totã somno consumere noctem.* Sil. Ital. ex Homer. ἀ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

CAPUT XXV.

DE OTHONE III. HENRICO II. ET CUNRADO II. CÆSARIBUS.

IN occidente, Imperio Romano jam ad Germanos translato, Otho III. Imperator salutatur; qui Brunonem patruum suum, dictum postea Gregorium V, Pontificem creavit: adversarios ejus Joannem Pontific. & Crescentium Consulem compressit, supplicioq; affecit: ac ut in creando Imperatore, solitas controversias radicitùs tolleret, constituit gravi consilio per Germaniam, Septemviratus dignitatē, (a) *anno à Christo nato 996, ut alii volunt, A. C. 1000. in qua tres collocavit Antistites, Moguntinensem, Coloniensem, Trevirensem, & quatuor imperii proceres, Ducem Bohemiæ (qui pòst factus est Rex) Comitem Palatinum, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandeburgicum. Quibus rebus, ut aliis praclarè gestis, & cum admiratione: ita ut ob id, vulgo diceretur mirabilia Mundi: anno 19 imperii decedit, necatus veneno,* (b) *affabrè in chirotecis facto, quas ei Crescentii vidua miserat, cadavere Aquis grani, intestinis verò Augustæ humatis A. C. 1001. Hujus Othonis temporibus, Hugo Capetus in Gallia regnavit: & Beroldus Saxo cum magno comitatu excedens Germaniâ, Bosonem ad Arelate regnantem adjuvit magnâ virtute, & Morianâ valle donatus, Susios affinitatis jure sibi proximè adjunxit: cujus successores deinde Alpibus intermediis, utrinq; Allobrogum atq; Subalpinarum gentium terras latissimè possederunt, rebus vario successu*

Otho III. Imp. A. Chr. 984.

Septemviratus institutio A. Ch. 1000.

Otho mirabilia Mundi.

Hugo Capetus.

(a) δείσων ἀνδρῶν εἰκὸς ἄριστα βουλεύματα γίνεσθαι. *Ex optimis viris credibile est optima consilia existere.* Herod.

(b) --- *sic sæpè eadunt: ubi vincere apertè Non datur, insidias armaq; tecta parant.* Ovid.

Sabaudia.

Henricus II. Imper. A.Ch.1001.

S. Cunigundis castitas miraculo probata.

Henr. Imp. a calculo divinitùs liberatus.

VVilligis Carpentarii F. Archiepiscopus Moguntinæ.

Conradus secundus. A.Ch.1024

cessu gestis: & tuto montium transitu præstito, universæ provinciæ nomen Sabaudiæ imposuerunt. Caterùm communibus Electoratus auspiciis eligitur Romanorũ imperator Henricus secundus Bavariæ Dux, cognomento Sanctus, (c) *& Claudus, qui Bohemos & Vandalos cohibuit, Saracenos ab Italia deturbavit; Lotharingiam & Flandriam recepit; Pannonias Christianâ religione imbuit: ex eo Hungarorum Apostolus dictus. In Italia adversarium habuit Ardoinum regẽ, quem difficulter tandem devicit in agro Mediolanensi: in Germania Henricum Austriæ ducem, quem itidem compescuit: in Bohemia Boleslaum, quem subegit, unà cum vicina Polonia: Episcopatus multos per Germaniam instituit, inprimis Bambergensem, eiq; Principes Germaniæ & Electores imperii Feudales, & quodammodo Vasallos fecit. Conjugem habuit castissimam S. Cunigundam: quæ in suspitionem adulterii veniens, in conspectu multorum testium, vomeres candentes pedibus absq; omni detrimento calcavit, & castimoniam suam admirabili spectaculo comprobavit, quam Imperator etiam moriens restituit suis virginem.* (d) *Calculi dolore in somnis liberatus dicitur à S. Benedicto, exsecto calculo, & vulnere subitò consolidato. Sub hoc vixit Moguntiæ Archiepiscopus VVilligis Carpentarii filius; qui rotas duas Clypeo Moguntinæ Ecclesiæ inseruit: & thalamo suo grandiusculis literis inscripsit: recordare unde veneris.* (e) *Sublato Henrico 2. & Bamberga sepulto, successit Electorum suffragiis & judicio Henrici Sancti Conradus secundus; quem quidam etiam vocant Saliquum: quòd esset ex gente Francia ad Salam de Prosapia Caroli M. Hic in Germania æmulos habuit Cunonem Bavarum: in Italia Mediolanensem Episcopum: quos tamen omnes fregit, & in Italiam profectus, Mediolani*

(c) *Omnia prospera evenisunt colentibus Deũ, adversa spernentibus.* Liv.

(d) *Plus est mente, quàm corpore copulari.* Ambros.

(e) *Fortunam reverenter habe, quicunq; repentè Dives ab exili progrediere loco.* Auson.

lani ac Romæ coronatus est. In Germaniam reversus, cùm turbata plaraq; offenderet, conventum egit Ratisbonæ: in quo Comes Babo de Abensperg, cum triginta duobus filiis (f) *comparuit (tot enim habebat viventes, unà cum filiabus octo) non sine spectáculo quodam singulari. Stephanum deinde Ungariæ regem, bellum ob Bavariam moventem, repressit: Burgundiam à Rege Rudolpho pro filio Henrico accepit & imperio adjecit: Othonem verò Celticæ comitem inde depulit. Lombardos quoq; rebellantes aliquoties compescuit: Sclavos & Ungaros perdomuit: tandem Rep. & Ecclesiis benè constitutis prope Trajectum mortuus, Spiræ humatus est, ut & Gisela uxor, & filius, nepos atq; pronepos ejus: unde est inscriptio, quæ adhuc Spiræ legitur:*

Comes Babo de Abensperg 32. filios Ratisbonam adduxit.

Res gestæ.

Sepultura.

Filius hîc, Pater hîc, Avus hîc, Proavus jacet isthîc.

(f) *Corona senum filii filiorum, & gratia filiorum patres eorum.* Prov. 17. v. 16.

CAPUT XXVI.

DE HENRICO III. HENRICO IV. RUDOLPHO ANTICÆSARE, ET HENRICO V.

DEcedens autem anno Imperii 15 successorem reliquit, Henricum III. cognomento Nigrum, à principibus Electoribus Imperatorem designatum: de quo fabula fertur, quasi filius fuerit cujusdam comitis de Kalavv: cujus uxor ipsum in solitudine ac sylva pepererit: & qui, licet expositus variisq; periculis objectus, tamen divinitùs posteà Impe-

Henricus III. Niger Imp. A. Ch. 1039. Res gestæ.

Imperium sit consecutus, & gener Henrici factus. Hic Bohemos tributa pendere coëgit: Petrum Ungariæ Regem contra Abam tyrannum defendit ac restituit armis: Godefridum Lotharingũ & Baldvinum Flandriæ Comitem rebellantes coërcuit: exitiale dissidium (a) *trium Pontificum sustulit, & novum Papam Svidgerum Bambergensem Episcopum in sede Pontificia collocavit; vetera jura Imperatorum in electione & confirmatione Pontificis, post Carolum M. & Othonem I. recuperavit: tandem Burdfeldiæ oppido Saxoniæ grandi panis portiunculâ* (b) *suffocatus; vel, ut alii putant, dolore, quem ex clade à Sclavis illatâ Lusatiis, acceperat, confectus, obiit: cùm priùs Henricũ IV. Fil. Imperatorem designasset, adhuc infantem anno imperii sui decimo septimo. Hic à Cunrado Suevo, Annone Archiepiscopo Coloniense, Othone Bavaro & Ecberto Comite tutoribus, educatus, Agnete matre res Imperii feliciter interim gerente, ad imperii fastigium admissus est, coronam Aquisgrani impetravit; eamq; urbem caput controversiis Imperii sedandis constituit. Habitis conventibus, Baldvinum & Gothofredum duces in gratiam recepit:* (c) *Rudolphum Comitem in Rhinfelden, posthabito Bertholdo Zaringiæ duci, Suevorum fecit ducem, non sine magno dissidio: Andream Ungariæ Regem contra fratrem Belum defendit: cum Pontificibus Romanis varia certamina subiit: bellum noxium & periculosum inter Boleslaum Poloniæ Regem & Vratislaum Bohemiæ ducem diremit: cum Saxonibus bellum gessit: ab iisdem accusatus apud Pontificem, excommunicatus, & in locum ejus suffectus fuit Rudolphus Svevus: cui Papa Gregorius 7. coronam* (d) *misit, cum hac inscriptione:* Petra dedit Petro: Petrus diadema Rudolpho: *unde ingentia certamina sunt orta: donec Rudolphus aliquot*

Exitus.

Henricus IV. A. Ch. 1056.

Aquisgranũ Imper. Civitas.

Res ejus gestæ.

Rudolphus Anticæsar.

(a) *Nihil per contẽtionem, neq; inanem gloriam facite.* Philip. 2.

(b) *Nullo fata loco possũt excludere; cùm mors Venerit, in medio Tibure Sardinia est.* Martial.

(c) *--Si decidit hostis, Ire super satis est, vitamq; relinquere victo.* Statius.

(d) *Quidquid præter necessarium victum ac simplicẽ vestitum de altari retines, tuũ non est: rapina est; sacrilegium est.* Bernhard.

aliquot prœliis fractus, dexteram manum à Godefrido Bullionæo sibi præcisam, tandemq; vitam cum magna pœnitudine amisit. quibus malis accesserunt & alia, Hermanni scilicet Luzelburgensis in imperio æmulatio, eoq; deposito, Ecberti Thuringiæ Marchionis rebellio: tandem filii Henrici V. adversus patrem nefaria conspiratio, (e) *à Pontifice & ejus assectis constructa, quas omnes calamitates innumeras propè, annis 50 exantlatas, excepit Imperatoris extrema paupertas, custodia, mors, & sepulturæ denegatio, per totum quinquennium, quo cadaver ejus Spiræ stetit in Sarcophago lapideo extra templum: cùm princeps fuerit verè magnanimus, liberalis, pius, constans, laboriosus, in bellis felix: utpote qui bis & sexagies cum hostibus conflixit, supra M. Marcellum & Julium Cæsarem: domi autem inter suos, ob fraudes Pontificum & Clericorum infelicissimus. Sub hujus Imperio Gothofredus Bullionæus, maximas copias adversus Saracenos & Turcas, in Palæstinam deduxit, & receptâ Hierosolymâ hostes illos latè profligagit; regnumq; ibidem constituit, memorabili ad omnem posteritatem exemplo: unde & Heroibus orbis annumeratus est. Post Henricum quartum, successit filius ejus Henricus V: qui impietatis adversus patrem* (f) *pœnas dedit Pontificibus Romanis, & aliis rebellibus, quibus adhæserat. Nam ab his excommunicatus, & ab omni jure electionis & confirmationis Pontificis Rom. Clericq; dejectus, variis bellis implicatus fuit; inprimis Saxonico: in quo 45000 hominum utrinq; cecidisse creduntur: & Polonico, in quo etiam fuit infelix: tandem mortuus Trajecti sine liberis, & sepultus Spiræ: relicto imperio Romano in magna perturbatione à Pontificibus Romanis, & aliis rebellibus conflatâ.*

(e) *A filiis tuis cave, & à domesticis tuis attende.* Eccles.

(f) *Qui adsligit patrem & expellit matrem, ignominiosus erit & infelix.* Proverb. 19.

Pericula.

Exitus.

Henricus IV. 62. prœlia commisit.

Godofred. Bulionæus Loth. Rex Hierosolymorum. A.Ch. 1099.

Henricus V. Imp. A.Ch. 1106.

Infortunia ejus.

Bella.

Exitus.

CAPUT

CAPUT XXVII.

DE IMPERATORIBUS CONSTANTINOPOLITANIS, EMANUELE, ALEXIO ET ANDRONICO COMNENIS, ANGELO, ALEXIIS SEN. ET JUN. BALDUINO, HENRICO, LASCARE, DUCA, PETRO, THEODORO, ROBERTO, BALDUINO II, BRENNIO, PALÆOLOGO.

NEc minùs res in Oriente temporibus illis erant confusæ, & periculorum plenæ: ob domesticas seditiones istorum Principum: & ob perpetuas Turcarum incursiones: adversus quos dimicavit Calojoannes, cui decedenti anno 25 successit filius, Emanuel Comnenus Tryphon, qui iniquior fuit Conradi Imperatoris & Ludovici Francorum Regis expeditionibus, contra communes hostes Christiani nominis susceptis. Unde commotus Rogerius Siciliæ Rex, omnem tum oram Græciæ & Thraciæ latè populatus est. Emanuel tamen cum Turcis dimicans, venit in periculum, (1) & post annos 38 Alexio Comneno filio, administrationem reliquit. Sed hunc post annum tertium Andronicus Comnenus sustulit; & eundem post biennium, Isaacius Angelus, nihil tale sperantem, ignominiosè dejecit. Hic Cyprum recipere tentavit, & VValachos aggressus est, sed minùs prosperè: Fridericum quoq. Aenobarbum, cum exercitu in Syriam contendentem, honorificè admodum excepit, quæ molestè ferēs Alexius frater, oculis eum privavit.

Calojoannes. Emanuel Comnenus.

Rogerius Siciliæ Rex.

Alexius Com.

Andronicus.

Isaacius Angelus.

Alexius Sen.

(a) μεγάλα πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλῃ ἐπιτελέειν. *Ingentia facinora ingentibus periculis sunt suscipiēda.* Herod.

Inde Alexius junior Isaacii filius ad Imperium subvectus est. Sed hunc homo ignobilis Murziphilus interfecit: ideoq; de eo sumptum supplicium. (b) *In his domesticis cædibus & Orientis tumultibus, munus istius imperii Constantinopolitani quindecim virûm suffragiis, committitur Balduino Flandriæ & Hannoniæ Comiti, viro admodum præstanti, qui brevi omnia amissa ad Hadrianopolin usq; recepit; à Scythis tamen victus & captus miserabiliter interiit. Cui succedens frater Henricus, affinitate junctus VValachis, amicitiam illam confirmavit,* (c) *& annis 11 imperium retinuit; cùm alii imperarent etiam Nicea: Lascaris nimirùm annis 18, & pòst Johannes Ducas annis 33. Constantinopoli tamen mansit gener Henrici, Petrus Antisiodorensis, quem quinto anno imperii, Theodorus Lascaris circumvenit. Interim Byzantium proficiscitur Robertus Petri filius: sed anno septimo in Achaja morbo interiit. Hujus filius Balduinus secundus nondum Imperio maturus, Joannem Brennium adjutorem habuit: sed cùm is foràs ad Bosphorum copias educeret, interim Michaël Palæologus Græcus urbem proditione* (d) *recepit, & Imperium occupavit: cùm interim quoq; enatum esset tertium in Oriente Trapezuntinum, quod Cappadociam & Colchidem complectebatur; duravitq; ad annum Christi 1461, quo occupatum est à Mahomete.*

Alexius Junior.
Murziphilus.
Balduinus Flandriæ Comes Imper. Constãtinop. A.Ch. 1204.
Henricus ejus frater Imp. Constãtinop.
Imper. Orient. Nicæ.
Lascaris.
Ioh. Ducas.
Petrus Antisiodorensis.
Theodorus Lascaris.
Robertus.
Balduinus II.
Ioh. Brennius.
Michaël Palæologus.
Imper. Orient. Trapezunti.

(b) ad autores redit sceleris coactis culpa. Senec.

(c) Nullius rei sinè socio jucunda est possessio. Senec.

(d) Πλὴν παραδοσίας φιλῶ, τὸν δὲ παράδοτον οὐκ ἐπαινῶ. Proditionem amo, proditorem verò non laudo. Dict. Augusti.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

DE LOTHARIO SECUNDO, ET CUNRADO TERTIO.

Lotharius Saxo Imper. A. Ch. 1125. S. Bernhardus

IN Germania cùm Henricus quintus post annum Imperii 20. cessisset fato; Lotharius secundus Saxo factus Imperator, æmulos imperii Fridericum Suevum & Conradum Francum repressit; usus operâ S. Bernhardi in compositione: Ulmam urbem, ob denegatum aditum, (a) vi cepit ac diripuit: Bohemos compescuit: Innocentium II. Pontificem Rom. contra Pseudopapam defendit: Rogerium Siciliæ Regem, Apuliâ & Campaniâ expulit: Romanæ Ecclesiæ autoritatem defendit & auxit. Dein velut alter Justinianus juris civilis disciplinam in terris Imperii instituit, perpetuumq; adjumentum, dirimendis privatis & publicis controversiis attulit: dum consilio & studio Irnerii ICTI, hominis Germani, Leges Romanas in Apulia repertas explicari fecit, & in judiciis usurpari: (b) Florentia in Palatio thesauro illo reposito, ubi adhuc asservatur: mortuus tandem prope Tridentum, & sepultus Cæsareæ Lotharia inter Helmstadium & Brunsvigam, præcipuis Heroibus adnumerandus. Huic succedit Cunradus III. Suevus, qui initio adversantem sibi Henricum Superbum, Bavariæ Ducem, in ordinem redegit, Saxones rebellantes domuit: VVelphum Bavaricum, ob ejectum Leopoldum Austriacum obsedit in arce VVinsberg. in quo cum Matronæ (c) oppidi ante deditionem peterent: ut sibi liceret cum suis rebus, quas humeris gestare possent, discedere: annuente Imperatore, relictis aliis omnibus

Res gestæ Lotharii.

Irnerius I C. instaurator. Legum Rom.

Pandectæ Florentinæ.

Exitus Lotharii.

Cũradus III. A. Ch. 1139.

VVelphus Bavar. Dux.

Pietas muliebris.

(a) *Nimia amentia est, fœdifragos à numine solo vindicandos sperare: nec ullam periculorum curam suscipere velle.* Onosand.

(b) *Justitia utilibus rectum praponere suadet, Communesq; sequi leges.* Claudian.

(c) *Probitas, fidesq; conjugũ, mores, pudor, Placeant marito.* Senec.

omnibus rebus, suum quaq; maritum humeris susceptum ex oppido effert; in quibus etiam fuit VVelphus acerrimus Cæsaris hostis: quo spectaculo Cæsar ita fuit delectatus: ut exportatos ab uxoribus cives incolumes dimitteret, & VVelphum in amicitiam recipe-
ret. (d) *Expeditionem in Syriam suscepit suasu S. Bernhardi, sociis Friderico Suevo, VVelpho Bavaro, & Regibus Galliæ Angliæq; : sed in Græciam cùm pervenisset, perfidiâ Immanuelis Palæologi Reg. (qui Germanorum exercitus cibis, gypsum admiscuit, ex quo multi ægroti & mortui milites) re infectâ post annum tertium reversus est. Exornavit multas celebres Germaniæ urbes, & in his Noribergam, in qua Monasterium ad S. Aegidium condidit: & Lubecam, quam privilegiis donavit. Mortuus Bambergæ A. C. 1152: cùm imperasset annis ferè 15.*

(d) *--- sæpè utile fuit Victoriis placidi facit clementia multis.* Ovid.

Expeditio Con. in Syriam.

Perfidia Immanuel. Palæologi Orientis Imp.

Mors Conradi.

CAPUT XXIX.

DE FRIDERICO BARBAROSSA, HENRICO VI. PHILIPPO, OTHONE IV. ET FRIDERICO II.

EO sublato, Conradi ex fratre Nepos, Fridericus primus Suevia Dux, cognomento Aenobarbus, à rufsa barba, electus & Aquisgrani coronatus est Imper. Hic Gibellinorum & Guelphorũ potentissimas per Germaniam factiones sustulit, quoad potuit: Zuenonem & Carutum Principes, de Dania contendentes composuit: Henricum Bavariæ & Saxoniæ Ducem, cum Alberto Marchione in gratiam reduxit:

Fridericus Barbarossa. A. Ch. 1152.

Res gestæ Fr. Barbarossæ.

reduxit: Mediolanenses rebellantes (a) *bis coërcuit: urbem illorum solo æquavit, & aratrum in crucis modum per medium urbis traxit, saleq; asperſit: Henricos duos, vitricum Auſtriacum, & privignum Saxonem reconciliavit: Auſtriæ Marchionatum convertit in Ducatum: VVelpho Spoletanum Ducatum, Tuſciam & Sardiniam tribuit: Pontificum Adriani 4. & Alexandri 3. ambitionem* (b) *per Germaniam fregit: ab iisdem viciſſim affligitur, & Venetiis captum filium Othonem liberare volens, duras ab Alexandro 3. conditiones ſuſcepit: pedibus ab eo conculcatur in veſtibulo S. Marci, adjectis verbis* (c) *Pſalmi, ſuper aſpidem & Baſiliſcum ambulabis: acceptâ veniâ pacavit Italiam: Jura Feudalia per Germaniã inſtauravit: ſtudioſis Scholarum privilegia & immunitates perpetuas conceſſit: bellum in Saxonia inter Henricum Ducem & alios principes compoſuit, graviter mulctato Henrico rebellante: Bellum ſacrum contra Saracenos ſuſcepit, ſocio Gallorum Rege Philippo & Richardo Anglo, &c. In Syriam progreſſus, Sulthani exercitum ex Cilicia & Armenia expulit: ſed dum fortè in Serra fluvio Armeniæ lavat, abreptus undis vel ſuffocatur,* (d) *vel ereptus inde Seleuciam æger deferitur; & paucis diebus pòſt moritur, maximo cum luctu & lachrymarum profuſione; ſepultus Tyri: cùm imperaſſet annis 38. princeps maximis defunctus calamitatibus: ſed præcipuis Imperatoribus in Orbe comparandus. Succeſſorem reliquit hic filium Henricum VI. Regem Siciliæ: qui à patre vivo,* (e) *Romanorum Rex fuit deſignatus. Hic ducto exercitu in Italiam urbes in Campania & Apulia cepit atq; valavit: è Sicilia verò Tancredũ Regem ejecit, & oculis privatum in Teutoniam miſit; mortuus Meſſanæ A. C. 1198. Interea Philippus frater Syriacæ expedi-*

Calamitates.

Exitus.

Henricus VI. A. Ch. 1191.

Tancredus Siciliæ Rex.

Philippus Sueviæ Dux.

(a) *Factiones fuere, eruntq; plurãbus magis exitio, quàm bella externa, quàm fames morbiq;.* Liv.

(b) *Annon limina Apoſtolorũ ampliùs ambitio, quàm devotio terit.* Bernhard.

(c) *Vera fortuna neq; maledica eſt, neq; minax.* Senec.

(d) *Ducitur ſemper noua pompa mortis.* Senec.

(e) *Non ſentitur amiſſus, cui non ſuccedit extraneus.* Caſſiod.

tioni præfectus, cùm Berytum occupasset, & Joppen obsidione teneret, orto tumultu revocatur. Gravis enim per Germaniam excitata erat dissensio, aliis procerum Othonem Saxoniæ ducem, alius Philippum Suevorum ducem, Imperatorem poscentibus. Ambo igitur externis viribus instructi, cùm Philippus in prælio extitisset superior, Imperium is adeptus est: factâ pace cum Papa & Othone A. C. 1203: sed mox iterum per insidias ab Othone VVittelsbachio sublatus est, quem non multò pòst Philippus Mareschallus occidit. (f) *Quo facto, Otho quartus, Brunsvicensis dux, acceptâ coronâ, Imperium obtinuit: sed cùm invito Pontifice Innocentio 3 occupasset Siciliam, & in Apulia oppida multa cepisset, excommunicatus ab eo est, & electus Fridericus 2. Rex Siciliæ; cum quo congressus Otho, ad pagum Bovinas, sociis Joanne Anglorum R. Reinaldo Polonia R. & Ferdinando Flandria Duce, victus est à Friderico; quem juvit Philippus Galliarum Rex ejusq; filius: ex quo desertus, mortuus est inglorius Brunsvigæ A. C. 1218: cùm imperasset annis 19. Hoc mortuo Fridericus secundus in imperio confirmatur, vir rebus Syriacis clarus, linguarum & Mathematica cognitione excellens:* (g) *studiorum & studiosorum Patronus. Hic cùm ex Lombardia & Thuscia ejecisset Comites duos rebelles, Matthæum ac Thomã, venit in odium Pontificis Honorii: quod tamen sublatum est, Friderico ducente in uxorem Hierosolymitani regis filiam unicam; cum qua & hæreditatem regni Hierosolym. consecutus est, quod postea junctum est cum regno Siciliæ. Iterum in Lombardia ortâ dissensione, instinctu Pontificum, contra Imperatorem, armis quidem illam compescuit: sed Pontifex eum excommunicatum gravissimis bellis atq; calamitatibus implicuit:* (h) *præsertim per factionem Gibellinorum & Guelpho-*

Otho Saxoniæ Dux.

Philippus Sueviæ Dux Imp. A. Ch. 1203.

Otho de VVittelspach Palatinus. Otho 4 Imp. A. Ch. 1209.

Fridericus 2. Siciliæ R. A. Ch. 1220. Imp.

Regnum Hierosol. & Sicil.

Guelphi & Gibellini.

(f) ὡς ὀτόλοιτο καὶ ἄλλος ὅ τις τοιαῦτά γε ῥέζοι: *Perdatur similis pœnâ, qui talia fecit.* Homer.

(g) *Vt adspectus à circumfuso aëre lumen accipit: sic animus à disciplinis liberalibus.* Diog. Laërt.

(h) *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei: redigentes in captivitatem omnem intellectum in obsequium Christi.* 2. Corinth. 10.

Guelphorum, quæ tum recruduit: ex quibus hi Pontificis partes, illi Gibellini Cæsaris sequebantur, non sine magno malo Italiæ & Germaniæ. Ea dum restinguere nititur optimus Imperator, à Pontificibus Romanis impeditus, (maximè Innocentio 4, qui eum excommunicavit, & Henricum Haßia ac Thuringiæ Landgravium contra ipsum suscitavit, itemq; VVilhelmum Holandiæ Comitem) exhaustus tandem fractusq; cùm esset in Apulia cum exercitu, in morbum incidit: vel, ut alii putant, Manfredi Tarentini Principis, spurii sui insidiis, hausto veneno (1) extinctus est, Panormi sepultus, A. C. 1250.

Exitus Frid.

(1) -- nulla aconita bibuntur Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula sumes Gemmata. -- Iuvenal.

CAPUT XXX.

DE CUNRADO IV. WILHELMO HOLLANDO ET INTERREGNO ROMANO.

Ferdinandus Hispaniarum R.

Sub hoc Ferdinandus quoq; Hispaniarum Rex, Saracenos magnâ virtute compressit: Cordubâ & Toleto receptis. Decedente Friderico secundo, anno Imperii 33, sufficitur Conradus quartus: sed hic non multò pòst superato Henrico Haßiæ & Thuringiæ Landgravio, (qui contra patrē Fridericum à Pontifice electus fuerat, & vulgò dictus Rex Pontificius) abiens è Germania, auxilio Tancredi, civitates Italiæ, quæ ad Pontificem defecerant, recuperavit: Neapolin expugnavit: Capua muros dejecit: Aquinum exußit; tandem Manfredi fratris insidiis, per Medicos (2) ac propinatum venenum extinctus scribitur, A. C. 1253. Imperii anno 4. Filium

Conradus 4. A.Ch. 1250.

(2) Nulla sunt occultiores insidiæ, quàm hæ, quæ latēt in simulatione officii. Cicer.

hic reliquit Cunradinum, qui cum Carolo Siciliæ Rege bella gessit, socio Friderico Austriaco: sed ambo capti, jussu Pontificis, Neapoli publicè securi sunt percussi: quæ clades exitum finemq; nobilissimis familiis Suevia Fr. Barbarossæ & Austriacæ primæ, (b) *attulit A. C. 1268. Posthæc VVilhelmus Hollandiæ Comes, jam antè post Henricum jussu Pontificis Imperator electus, A. C. 1247, Imperio potitus est, & interea temporis illud tenuit, cum Cunrado, &c. usq; ad annum* CHR. *1256: quo Frisiis bellum intulit, & ab iis occisus est.* (c) *Circa hoc tempus, Electoribus imperii graviter inter se dissentientibus, consecutum est Germania interregnum, & Anarchia verius, quàm imperium, per annos 17: licet à Septemviris duo fuerint electi: Richardus nimirum, Johannis, Anglorum Regis frater, qui etiam Aquisgrani coronatus est, & annis regnavit 15: & Alphonsus Castellæ R. qui totidem annis Imperii habenas tenuit: donec communibus suffragiis Rudolpho Suevo, Comiti Habspurgensi munus hoc commissum est.*

Cunradinus. Fridericus Austriacus.

VVilhelmus Hollandiæ Comes Imp. A. Ch. 1247.

Interregnum German. 17. ann.

Richard. Anglus.

Alphonsus Castellæ R.

RUDOLPHUS Habspurg.

(b) *Deus mutat tempora & ætates: transfert regna atq; constituit.* Daniel. 2.

(c) *Nulli prius belli cladem sentiunt, quàm qui movent.* Liv.

CAPUT XXXI.

DE ULTIMIS BYZANTI IMPERATORIBUS, ET AVULSO ORIENTE.

INterim etiam vires Orientis, finitimorum irruptionibus continuatis, (a) *mirum in modum fractæ fuerunt: quibus tamen Michaël Palæologus annis 22 restitit. Hic Venetos est aggressus: Lugdunum venit ad conventum, ac ob id, mortuus, minùs honorificè à suis sepultus est. Post Andronicus filius*

Michaël Palæologus, Orient. Imp.

Andronicus Palæologus.

(a) *Inter finitimos Getas atq; antiquas simultates, immortale odium, & nunquam sanabile vulnus.* Iuvenal.

Turcæ.

filius natu maximus, adjuncto Michaele filio, Imperiũ tenuit annis 48. Eo tempore Turcæ, Ottomanno duce, magnis artibus eos in unum cogente, multas adversus finitimos victorias obtinuerunt. Sed interveniens Tamerlanes Parthus sive Tartarus, ex gregario milite factus dux maximarum copiarum, adjunctis finitimis populis, Syriam & Aegyptum vastavit: Bajazetem Turcarum Principem in minori Asia sibi oppositum, ducentis millibus cæsis vivum cepit, & in vincula conjecit, caveâq; conclusum circumduxit, (b) *ac pro scabello pedum, quoties equum ascenderet, usus est. In principatu autem Byzantino, Andronicus junior res administravit, avo Andronico in Monasterium detruso, quem secuti sunt Johannes Cantacuzenus & Johannes Palæologus; quibus inter se dissidentibus, auxilia Turcarum in gravem totius orientis perniciem accersita fuerunt: donec sub Joanne 6. Emanuele 1. Joh. 7. & Joh. 8. Orientale imperium Turcis factum est tributarium, & tandem penitùs ab illis subjugatũ. Nam, cùm teneret illud Constantinus Palæologus A. C. 1453, ibi Mahometes ingentes Turcarum copias, ad urbem Constantinopolim cùm duxisset, ad 400. hominum millia, & 250 navigia, eamq; magnâ vi obsedisset: ad extremum expugnatam illam cepit: Imperatori in fuga conculcato* (c) *caput præscidit: prolem omnem regiam frustulatim concidit, unà cum 40 millibus hominum: urbemq; totius orientis potentissimã atq; amplissimam latè ferro, flammis, ac ruinis vastavit:* (d) *in contumeliam verò Religionis Christianæ, Barbaricam regni sui sedem ibidem constituit, & hodieq; servat: anno à nato Christo 1453.*

Tamerlanes ira Dei, circiter An. Chr. 1398.

Bajazetes Turcarum tyrannus caveæ inclusus.

Andronicus Iunior.

Iohan. Catacuzenus.

Iohan. Palæologus.

Constantinus Palæologus ult. Orient. Imp.

Constantinopolis capta A. Ch. 1453. d. 9. April.

Oriẽs ab Occidente penitùs avulsus.

(b) τὸ θεῖον χολῇ καὶ πάχει βαδίζει. Synes. *quod proverbio: Dii laneos habent pedes.*

(c) *Neq; ulla est. Aut magno, aut parvo leti fuga.* Horat.

(d) *-- quod mille ducum peperere labores, Quod tantũ Romana manus cõtexuit armis, -- Vnus iners angusto tempore vertit.* Claudia.

CAPUT XXXII.

DE RUDOLPHO HABSBURGICO, ADOLPHO NASSOVIO ET ALBERTO I.

DUrante adhuc interregno Germaniæ, aliis Electorum (ut dictum est) præferentibus Alphonsum Castiliæ Regem, doctrinâ, studiis & astrorum peritiâ clarum: aliis Richardum Regis Anglorum fratrem: tandem hortatu Pontificis Gregorii X, facto conventu Lusannæ, Rudolphus Habspurgensis, Landgravius Alsatiæ, Imperator communibus suffragiis salutatur, Anno Christi 1273 & à Pontifice confirmatus, Aquisgrani coronatur. Hic pietate, autoritate, gratiâ, fide, prudentiâ, magnitudine animi, felicitate, aliisq; multis virtutibus cùm excelleret: totus in honestando augendoq; imperio (1) Germanico fuit: ideoq; statim provincias omnes à latrociniis purgavit: pacem restituit: seditiosos punivit: arces prædonum 60. per Thuringiam destruxit: Albertum Thuringiæ Landtgravium & filios ejus Fridericum ac Ticemannũ hostiliter dissidentes, composuit: Eberhardum Comitem VVirtenbergensem cohibuit: Marchionem Badensem & Bavariæ rebellantes in ordinem redegit: Ottocarum Bohemiæ regem, Austriam hæredibus tum carentem occupaturum, post longum & grave certamen devicit, & occidit: regnũ Bohemiæ filio ejus VVenceslao tradidit, unà cum filia sua Jutta: Alberto autem filio Austriæ ducatum dedit: unde Archiduces Austriæ laudatissimi descendunt: Bavariã alteri filio Johanni dedit. Italiam ingressus Hetruriæ

Interregnum Germ.

Gregor. X. Pontifex. Rudolphus Habspurgensis Imperat. A.Ch. 1273. Rudolphi virtutes.

Res gestæ.

(1) Cõsulere patriæ, parcere adflictis, serâ Cade abstinere, tempus atq; ira dare, Orbi quietem, sæculis pacẽ suo: Hæc summa Virtus: petitur hæc calcũ viâ. Senec.

Hetruria oppida libertate (b) *donavit: Pontifici Romandiolam & Ravennam cum Exarchatu concessit: sed ita ut inde tempore necessario suppetias haberet adversus communes Christianorum hostes. Ejus tempestate, cùm de Sicilia principatu variè esset certatū; & Galli multa facerent insolenter* (c) *& asperè: Siculi auxilio Petri Arragoniæ Regis 30 d. Martii A. C. 1282 ad signum Campanæ in vespertinis precibus omnes occiderunt ad millia circiter octo, spacio duarum horarū: ex quo vesperæ Siculæ in historiis memorantur. Ab hoc Rudolpho I. nunquam satis laudato Principe, longâ jam serie propagantur Imperatores Romani, singulari Dei beneficio, mites, fortes, graves, pacifici, prudentes, clementes, salutares.* (d) *Exemptus autem Rudolphus rebus humanis, A. C. 1291 ætatis suæ 73: Imperii 19, longum sui desiderium apud Germanos reliquit; utpote quorum inter alia linguā ita amavit: ut plaraq; instrumenta publica, anteà Latinè scripta, voluerit linguâ Germanicâ deinceps exprimi & in vulgus emitti. Ideoq; licet electores à morte ejus imperatorem creârint Adolphum Nassovium A. C. 1292: tamen quòd ille Edvardo Angliæ regi contra Gallos militaret stipendio centum millium aureorum: Thuringiam contra ordinum regionis illius consensum* (e) *emisset, & ferro flammisq; (cùm recusarent eum Dominum) devastasset, aliaq; multa commisisset: dignitate Imperiali exutus est, & in locum ejus surrogatus Rudolphi filius Albertus Austriacus, qui manu suâ in prælia lapsum Adolphum interemit, A. C. 1298: cùm imperasset annis sex. Albertus autem à cunctis Electoribus Francofurti designatus Roman. Rex, tanto concursu, ut in eo Dux Saxoniæ fuerit oppressus atq; suffocatus: consecratus Aquisgrani. Sed cùm à Pontifice Bonifacio VIII. coronam peteret, osten-*

Vespere Sicul. A. Ch. 1282.

Mors Rudolphi.

Lingua Germanica à Rudolpho exaltata.

Adolphus Nassovius. A. Ch. 1292

Albertus Austriacus A. C. 1298.

Pontifex Bonif. 8. iniquior Alberto.

(b) *... nunquam libertas gratior exstat Quàm sub rege pio.* Claudian.

(c) ἀλαζονείας ἥτις ἐκφεύγει δίκλω. *Pœnam arrogantia nemo effugit sua.* Menand.

(d) *Debent pictores quidem corporū lineamenta: filii autem regum quasi virtutes imagines patrū virtutes referre.*

(e) *Ditare magis est regnū, quàm dilatare.* Senec.

ostentans ille sese insolenter, (f) *gladio & coronâ, primò confirmare eum noluit: propterea quòd Adolphum occidisset, & potestatem sibi in Politicis & Ecclesiasticis rebus usurparet: sed postea persuasus ab Alberti Cancellario, consensit. Bella gessit multa, privata tamē magis, quàm publica: Ungariæ regnum affectavit; sed non obtinuit: Bohemiam autem Rudolpho filio acquisivit: Friderico & Ticemanno Misniæ ducibus ob ducatum illum movit bellum, & variis modis eos afflixit: cum Philippo Gall. Rege jus affinitatis junxit: venenum hausit, artibus Salisburgensis Episcopi propinatum: à quo tamen Medicorum ope liberatus, alterum oculum amisit. Tandem ingressurus Bohemiam, cùm haberet exercitum 3000 equitum, & 50000. peditum, & Rhenum trajicere vellet, de improviso, à Joanne fratris filio & cateris conjuratis occiditur,* (g) *ac Spira sepelitur; cùm regnasset annos 9. menses totidem.*

Res gestæ.

Albert. Mon. oculum.

(f) *Vt Deus irascitur, qui fulmen ac tonitru imitātur; eosq; in tartara præcipitat, ut Salmoneæ: sic superbis indignatur, qui magnitudinē æmulantur, non exprimunt bonitatē.* Plutarch.

(g) *--pavido fortiq; cadendum est.* Lucan.

CAPUT XXXIII.

DE HENRICO VII. FRIDERICO PULCHRO, ET LUDOVICO CONFIRMATO ET VICISSIM REIECTO.

Successit ei Henricus VII Luceelburgensis, A. C. 1308, electus Francofurti, coronatus Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi: prædecessorum suorum corpora Adolphi & Alberti Cæsarū honorificè humanda curavit: (a) *Wirtebergenses rebelles compescuit: Bellum Misnicum diuturnū & exitiale*

Henric. VII. Luzelburg. A. Ch. 1308.

Res gestæ ejus.

(a) *Ad posteros virtus durabit: non pervenietinvidia.* Fab.

tiale composuit: Friderico Thuringiam & Misniam: Bojemis inferiorem Lusatiam tradens. In Italiam profectus, Mediolani coronam ferream accepit, cum conjuge, ulteriùs progressus: rebelles passim oppugnavit & vicit: in his etiam Genuam urbem. Romam veniens in Laterano coronatus & Augustus appellatus est. Tyburti tumultum sedavit: Florentinos oppugnavit: cum Friderico Rege Siciliæ fœdus fecit: Apulia Regē Robertum proscripsit: cùmq; eum arma parantem compescere vellet, fraude Senensium à quodam Monacho ordinis Prædicatorum hostiâ venenatâ, (b) *quam in Eucharistia ei porrexit, interfectus est: Pisis sepultus A. C. 1313. Pontificum tum magna fuit æmulatio & dissensio: à Bonifacio Jubilæum primum institutum, & Indulgentiæ venditæ. Post mortem Henrici 4. gravi ortâ contentione inter Septemviros; Moguntinus & Trevirensis Archiepiscopi, Joannes Bohemiæ Rex, & VVoldemarus Brandeburgicus Elector, Ludovicum 5 Bavarum* (c) *crearunt Imperatorem & Aquisgrani coronârunt: Coloniensis verò Episcopus, Saxo & Palatinus ad Rhenum, Imper. designarunt Fridericum Pulchrum Austriæ ducem, Alberti Cæsaris filiū, eumq; Bonnæ consecrarunt. Inde funestum & diuturnū bellum extitit: quod annis octo variâ fortunâ gestum, vix prælijs quinq; tandem sopitum est: ultimo ad oppidum Muldorff & Otingam commisso, ubi Fridericus atroci prælio victus & captus cum Henrico fratre, triennium in custodia fuit detentus à Ludovico, qui ei liberato, nihil præter titulū imperatoriū reliquit:* (d) *à qua captivitate non ita multò pòst mortuus est Fridericus A. C. 1330. Sublato æmulo, Ludovicus solus Imper. pacavit Germaniam, maximè Belgas & Helvetios; qui propter principes dissidentes, & ipsi diversas in partes erant distracti, ut & alii Germaniæ*

Monachus in Eucharistia hostiâ venenatâ Henric. Imp. necat.

Iubilæus primus Indulgentiæ.

Schisma inter Imperii Elect.

Ludovicus Bavarus Imp. A. Ch. 1314.

Fridericus Pulcher Aust. Imp. A. Ch. 1314.

Fridericus in prælio captus

Mortuus A. Ch. 1330.

Perturbatio Germaniæ.

(b) *Venena nō dantur, nisi melle circumlita: & Vitia non decipiunt, nisi sub specie umbraq; Virtutis.* Ambros.

(c) *-- discordia demens Intravit cœlos superosq; ad bella coëgit.* Sil. Ital.

(d) *Quodcūq; libuit facere Victori, licet.* Senec.

populi & civitates imperiales. Dein Italiam petiit ad sopiendas reliquias factionum Gibellinorum & Guelphorum: Gibellinos tamen juvit; missis ad Galeacios comites Mediolanenses, qui illarum erant partium: id quod offendit Pontificem Joh. 22. qui ob id Ludovicũ Cas. excommunicavit: (e) *& Avinionem (quo tum ex Italia sedem Romanam transtulerat) ad dicendam causam citavit. Ludovicus à pontifice provocavit ad Concilium generale: unde ingens orta disputatio; quibusdam Theologis & ICtis Papam, quibusdam Cæsarem publicis scriptis defendentibus. Profectus tamen in Italiam Cæsar: urbes quasdam reformavit, præfectis suis ibi collocatis; Romam contendens, cùm coronationem à Pontifice obtinere non posset* (f) *à Stephano Columna Cardinali, consentiente Senatu, & Plebe Cleroq;, diademate unà cum uxore insignitus est, quæ ei Roma peperit filium; quem nominavit inde Ludovicum Romanum. Post habitâ Synodo, Papam Johannem, illius authoritate, vicissim abdicavit, surrogato Nicolao 5. & publico scripto factum suum defendit. Sed reverso Ludovico in Germaniam, Italiæ urbes, & in his Pisæ deficientes Nicolaum 5. captum ad Johannem Pontificem in Galliam miserunt. Quare permotus Cæsar, Johannem Bohemiæ Regem in Italiam misit cum exercitu; qui multas civitates in potestatem suam redegit.* (g) *Sublato è vivis Johanne 22. Ludovicus Cæsar à successore ejus Benedicto 12 absolutionẽ ab excommunicatione petivit: quam impediverunt Philippus Galliarum & Robertus Sicilia Reges: ex quibus tamen Philippus Cæsari reconciliatus, legationem unà misit cum imperatore ad Papam pro absolutione. Sed cùm & hic recusaret eam, Cæsar habito Conventu Francofurti, acta Pontificum rescidit,* (h) *facto decreto: quòd Pontifici nihil juris competat in Romanum*

Galeacii comites Mediol.

Sedes Pontificis Avinionis in Gallia annis 74.

Ludovicus excommunicatus à Pontifice.

Defenditur à multis.

Ludovicus Romanus Imp. F.

Turbæ Pontificum per Italiam.

Iohannes Bohemiæ Rex strenuus.

Ludovicus absolutionẽ sæpiùs petit frustrà.

Philip. Gall. R.

Robertus Siciliæ R.

Conventus Francofurtẽsis cõtra Pontif.

(e) *Servum Domini non oportet pugnare: sed mansuetum esse erga omnes.* 2. Tim. 2. v. 24.

(f) *Corpus Ecclesiæ nihil tam scindit atq; superbia.* Chrysost.

(g) *Cui licentia iniquitatis eripitur: utiliter vincitur.* Augustin.

(h) *Injuria injustè irrogata, ejus infamia est, qui fecit.* Senec.

Duces primi Iuliacenses & Bergenses.

Iniquæ & indignæ conditiones Ludovico Imp. oblatæ à Clem. 6. Pontif.

Ludovicus iterũ excommunicatus.

num imper. sed majorem esse concilii autoritatẽ, quàm Pontificis. Inde cùm Guilhelmum Julia comitem fecisset ducem Juliacensem & Bergensem: & facto novo Pontifice Clemente VI. iterum ab hoc absolutionem petivisset: ille autẽ iniquissima & indignissima quæq; offerret Cæsari: ac inter alia ut se, suos liberos, ac bona potestati Papæ subjiceret: (i) fasces imperii deponeret: confiteretur errores & haereses sibi objectas, &c. iterum egit conventum Imper. Francofurti & ordinum Imperii beneficio tutum se fore speravit. Sed Pontifex de novo excommunicatione Cæsaris promulgatâ, cohortationem ad Electores fecit: ut sub eadem pœna, & gravissimis aliis periculis, intra tempus præfinitum, deposito Ludovico, alium Imperatorem crearent.

(i) *Evangelium est ministerium spiritus.* 2. Cor. 3.

CAPUT XXXIV.

DE GÜNTHERO SCHWARZBURGICO ET CAROLO IV.

Ludovicus Imperiali dignitate exuitur.

ICcirco proceres evocati à Moguntino in oppidum Rens, Trevirensis ditionis, abdicato Ludovico, elegerunt Carolum Johannis Bohemiæ Regis filium, probante Pontifice: à quâ Electione non multò pòst Cæsar Ludovicus ex venatione rediens, lapsu equi concussus, (1) diem extremum obiit, A. C. 1347. Imperii 33. Hostes ejus plaraq; perierunt in magno conflictu inter Anglos & Gallos, ubi ad 30 hominum millia perierunt: & ipse etiam Rex Bohemiæ Johannes cæcus, pugnans inter hostes confertissimos, occubuit. Magni enim tum in Christiano orbe motus fuerunt propter tyrannidem Pontificum, & Gallorum atq; Anglorum dissidia. In his motibus Carolus 4 antea Imperator creatus, à multis Electoribus Principi-

Moritur Ludovicus Cæs. Prælio inter Anglos & Gallos.

Iohannes Bohemiæ Rex cæcus pugnat.

Carolus 4. Imp. A. Ch. 1347.

(2) *Nemo scit nostrum, quàm prope versetur Deus. Sic itaq; formemus animã, tanquam ad extrema ventum sit.* Senec.

bus iterum repudiatur, (b) *qui Edvardum Anglia Regem illi opponunt: recusante autem illo munus hoc, deferunt illud ad Fridericum Gravem, Misniæ & Thuringiæ Principem: sed & eo renuente, accepto honorario decem millium Marcarum auri: ventum est ad Güntherum Comitem Schvvarzenpurgicum; cui persuaserunt Proceres, reverâ vacare Imperium: ex quo ille Francofurtũ ingressus, & regio more receptus est: sed non multò pòst, venenatâ potione à Medico Fridanco sibi oblatâ (quam tamen Medicum praegustare oportuit* (c)*) extinctus est unà cum Medico: quo facto Carolus 4 sine æmulo placatis principibus imperium obtinuit, & in Italia (quam tum Nicolaus quidam scriba ad veterem formam Reip: Romanæ magno ausu & applausu hominum se traducere velle certò promisit) coronatus est unà cum conjuge: non tamen sine tumultu: maximè Pisis, qua in urbe, nisi defensus fuisset à Germanis, furiosa eum multitudo civium* (d) *oppressisset: Imperatricem autem conjugem Caroli, in ganeum abripuisset. In Gallia & Anglia tum quoq; motus fuerunt magni: & Anglorum excursiones in Germaniam usq;, quæ Alsatiam & alias provincias vehementer laserunt. Carolus Delphinatum concessit Huniberto Gallia Delphino, pro certa pecunia: sed ita, ut deinceps velut feudum à Cæsare & Imperio acciperetur. Henetorum Principes ad littus Balticum Johannem & Albertum duces imperii effecit;* (e) *cùm antea domini VVandalorum dicerentur: ex Marchia Brandeburgẽsi & ducatu Bavaria, multa ad Boh. regnum traduxit: Silesiam & Lusatiam hereditario jure acceptas exornavit, & inprimis Vratislaviam, templo novo S. Dorothea auxit: Noribergenses ob Cæsarem dissidentes composuit; abdicatis quibusdam tribunis, & laniis pro Cæsare cum Senatu facientibus, ludis anniversariis*

(b) *Levis est fortuna: citò reposcit, quæ dedit.* Pub. Syr.

(c) ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. *Malum consilium consultori pessimum.* Hesiod.

(d) *Vulgus audaciâ turbidum; nisi vim metuat.* Tacit.

(e) *Duo sunt Reipub. fundamenta, præmium & pœna.* Solon apud Plutarch.

Edvardus Angliæ Rex eligitur Imp.

Fridericus Gravis Misniæ dux Imp.

Gunther. Comes Schvvarzẽburg. Imp.

Veneno propinato unà cũ Medico extinguitur.

Carol. solus.

Nicolaus Rõ. Scriba veterẽ Rom. Reip. formam meditatur.

Periculũ Caroli & Conjugis ejus Pisis.

Gallici & Anglici motus.

Delphinatus ab imperio alienatus.

Henetorum Principes imperio adscripti.

Bohemiæ regnum auctũ.

Silesia & Lusatia.

Exornata Vratislavia.

Noribergenses Lanii.

Bernabos Vrbani 5. Pontificis hostis.

Aurea bulla promulgata.

Solēnitas Moguntiæ secundum auream bullam.

Corolus amās literarū. Academiæ Germaniæ.

Fastus Clericorum reprehensus. Mors Caroli 4.

riis, ac immunitatibus aliis donatis. (f) *Revocatus in Italiam à Pontifice Urbano 5 cum hoste illius Bernabove Mediolanensi composuit, & in Germaniam tertio mense rediit: passim provincias & urbes obiit: legibus bonis, templis, immunitatibus aliisq; rebus auxit & ornavit, totamq; Germaniā pacare & ampliare omni modo studuit: præsertim lege Carolinâ, quam auream bullam vocavit, consensu Procerum promulgatâ; quæ docet, quo pacto Imperator Romanus eligi debeat; quæ cujusq; ordinis in Imperio Romano sit dignitas,* (g) *& quomodo illa conservanda, &c. statim Moguntiæ in festo Nativitatis Domini ejus dato specimine: ubi in epulo magnificentissimè parato, singuli Electores suo functi sunt munere publicè: quod ipsis in aurea bulla fuit assignatum. Carolus hic amavit literas & literatos. Academiam Pragensem instituit: lectionibus & disputationibus interfuit.* (h) *Floruerunt etiam Coloniensis, Erphordiensis & Vienensis Academiæ sub ipso. Fastum Clericorum odio habuit, reprehendit & reformavit, quoad potuit: tandem Pragæ obiit, A. C. 1378, cùm imperasset annis propè 33.*

(f) *Generosi & magnifici animi est, juvare & prodesse.* Senec.

(g) *--Vir bonus est quis? Qui cōsulta patrum, qui leges juraq; servat.* Horat.

(h) *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorū similis efficietur.* Proverb. 13.

CAPUT XXXV.

DE WENCESLAO, RUPERTO PALATINO, JODOCO MORAVO, SIGISMUNDO, ET SYNCHRONISMIS.

VVenceslaus Imper. 1378. Vitia ejus.

HUic successit filius planè dissimilis (a) *VVenceslaus, qui scribitur matrem in partu extinxisse: aquam in Baptismo, & aram in sua inauguratione cœno polluisse. Hic suâ ignaviâ & mo-*

(a) *Non semper patribus similes nascuntur filii: sed interdum ex malis boni, interdū ex bonis mali nascuntur.* Ioseph.

rum dissolutione magnis incommodis cùm afficeret Rempublicam Romanam: captus est ab ordinibus regni Bohemici, & in custodiam datus. Sed cùm inde operâ Johannis Lusatiæ & Procopii Moraviæ Ducum evasisset: nec vitam emendaret, quamvis sæpè admonitus: (b) *tandem A. C. 1400, penitùs ei abrogatum est Imperium: & ad Fridericum Brunsvvigæ & Lunæburgi ducem delatum, prudentiâ, & militaris rei peritiâ insignem virum, qui statim insidiis & fraude Moguntini Archiepiscopi ad Fristariam extinctus est: unde illud pervulgari cœptum, quod Moguntia in limine Basilicæ Cathedralis inventum est, lapidi cuidã incisum: Moguntia ab antiquo nequam. Tandem VVenceslaus ille apoplexiâ dicitur extinctus Pragæ A. C. 1419. Eâ tempestate magna fuit distractio Principum & civitatum per totum imperium: præsertim Helveticorũ & Suevicorum. Leopoldus Austriacus cum multa nobilitate* (c) *ab Helvetiis occiditur ad Sempacum. Amurathes I. Turcarum Imperator primùm Europam armis tentat. Britannia à Johanne Duce recuperatur: efflorescunt literæ Græca in Europa, docente eas Chrysolora in Italia: Machina bellica,* (d) *quas à sonitu Bombardas vocant, à Bertholdo Nigro Monacho Germanico A. C. 1380, inventæ, publicè adhibentur in bellis, & primum quidem à Venetis contra Genuenses. Hoc statu rerum ad imperii gubernaculum evehitur Rupertus Bavariæ Dux & Rheni Palatinus, quem Italici motus aliquandiu exercuerunt: Romæ tumultuante Ladislao Neapolitano Rege contra Pontificem: Mediolani Galeacio contra Florentinos: quibus opem ferre dum nititur Cæsar, impeditus ab aliis,* (e) *& clade affectus rediit in Germaniam: cui cùm præfuisset annis propè 10 piè, justè & tranquillè, mortuus est in oppido Oppenheim, & Spira sepultus.*

Captivitas.

Remotio ab Imperio. Fridericus Brunsvvic. & Luneburg. D. Imp. electus.

Perturbatio Germaniæ. VVenceslaus mor.

Dissidium inter civitates Helvetias & Suevicas.

Leopoldus Austr. ad Sempacum cæsus A. Ch. 1386.

Amurates I. Turcar. Imp. primùm invadit Europam.

Literæ Græcæ per Germaniam.

Bombardæ inventæ.

Rupertus Bavariæ D. Pal. Rhe. Imp. A. Ch. 1400.

Ladislaus Neapolitã. Rex.

Galeacius Mediolan.

Mors Ruperti Cæsaris.

(b) *Qui necper se, quæ recta sunt, intelligit; nec alios audire vult; extremæ ingenii est.* Aristot.

(c) *Nobilitas cum plebe perit, lateque vagatur Ensis: & à nullo revocatum est pectore bellum.* Lucan.

(d) *Mulciber ostendit mortalibus acre venenum: Quo nullum leto corpora plura dedit.* Ioan. Pincier.

(e) *Sæpè prava magis, quàm bona consilia prosperè evenerunt.* Salust.

Iodocus Marchio Moraviæ A. Ch. 1411.

Sigismundus Vngariæ Rex Imp. A. C. 1411.

Europa peragrata.

Conciliũ Cõstantiense.

Iohan. Huss. & Hieronym. Pragens. exusti.

Hussitarum bellum.

Iohan. Zisca, Hussit. Dux.

Concilium Basiliense.

Procopii Duces Hussitarũ.

Bohemia pacata.

Turcicæ expeditiones Sigis. Imp.

Gallia & Anglia turbata.

Iohanna Lothar. puella bellicosa.

Res gestæ Sigis. in pace.

Cingari sive Zeugini primùm in Germania visi.

pultus. In ejus locum succesiit Iodocus Marchio Moravia, à nonnullis electus Principibus: sed sexto mense submotus. Nam Principes alii prætulerunt ei Sigismundum Vngariæ Regem, Caroli 4 filium, sapientiâ, eruditione, probitate (f) *& multis virtutibus insignẽ: qui triennio peragratâ Italiâ, Hispaniâ, Angliâ, Galliâ, regum consensu obtinuit Concilium Constantiense; tres Papas adulterinos sede movit: & ordinarium constituit: Hussitarum causam cognovit, exusto Johanne Husso, & Hieronymo Pragensi. Bellum ob id per Bohemiam sustinuit grave & diuturnum, quod Hussita, duce Johanne Ziscâ viro strenuo (qui post ingentes victorias utrumq; oculum in pugnis amisit, & mortuus ex cute sua tympanum fieri jussit* (g) *in terrorem hostium) gesserunt contra Imperatorẽ, & ordines Imperii eorumq; socios Italos & Anglos: donec post Basiliense concilium, inter se dissidentes ipsi, & viribus attriti, unà cum Bohemia & Ducibus suis Procopiis in fidem Imperatoris redierunt. Cum Turcis bis pugnavit, sed parum feliciter: eò quòd viribus longè esset inferior, & Gallorum atq; Vngarorum Principes inter se dissiderent. Galliam satis turbatam vidit: ut & Angliam atq; Burgundiam: in quibus motibus eluxit* (h) *præcipua virtus Johanna puella Lotharingia 20 annorum, quæ Carolum Francorum Regem contra Anglos & Burgundiones strenuè defendit: sed postea ab Anglis capta Rotomagi cremata est. Germaniam tamen in pace utcunq; florentem retinuit: nisi quòd bello Hussitico Bohemia sub eo vexata, & Vngaria geminâ rusticorum seditione afflicta fuit: & Cingari sive Zeugini populi vagabundi, primùm in Germaniam venerunt. Idem Marchiam Brandeburgensem cum dignitate Septemvirali dedit Friderico Burggravio Noribergensi: Amadaum Sabaudiæ Comitem, primum*

(f) *Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex.* Auson.

(g) --*Verum ita est: Quot homines, tot sententiæ; suum cuiq; mos.* Terent.

(h) ἐν ταῖς δυσχρήσις λάμπει τὸ καλὸν. Aristot. *In rebus dubiis generosum fulget honestum.*

primum Ducem creavit. Sub eo in Burgundia Philippus Dux, ordinem aurei velleris, primùm cepit: Poloni & Lituvani bellum ob Podoliam gesserunt. Hic Princeps beneficus & liberalis in omnes, literas præsertim & viros doctos: (i) *tandem anno Imperii 27 extinctus, ætatis suæ anno 70.*

Ordo aurei velleris ceptus.

Mors Sigism. Imper.

(i) *Sint Mecænates non deerũt, Flacce, Marones.* Horat.

CAPUT XXXVI.

DE ALBERTO II. FRIDERICO III, ET SYNCHRONISMIS VARIIS.

Successorem habuit Albertum Austriacum generum suum A. C. 1438. eximiæ pietatis, (a) *virtutis ac liberalitatis Principem, qui ab Electoribus Francofurti Imp. creatus & confirmatus, uno eodemq; anno cum imperio, etiam regnum Ungariæ & regnum Bohemiæ obtinuit: sed hoc non sine armis. Expeditionem suscepit adversus Amurathem Turcarum tyrannum, qui ut antea Serviam, Thraciã, Thessalonicensem agrum, regiones ad Isthmum, Illyricum, Albaniam, Bulgariam & alias provincias: ita tum etiam Ungariam vastavit. Sed Albertus in itinere ingenti calore incensus, incidit in dysenteriam, ex nimio peponum* (b) *esu; & illa enecatus in Alba regali sepultus est anno secundo imperii. Secutus deinde est Fridericus 3. Archidux Austriæ: à Nicolao Pontifice, unà cum Eleonora conjuge coronatus in Italia: qui inde reversus in Austriam magnas turbas sensit, ob Ladislaum Alberti Imperatoris posthumum filium, Ungariæ, Bohemiæ & Austriæ hæredem, quem in tutela cum retineret diutiùs: ab Johanne Hunniade multum passus*

Albertus II. Austr. Imp. A. Ch. 1438.

Felicitas ejus.

Amurathes Turcarum.

Mors Alberti subita.

Frideric. III. Imp. A. C. 1440. Coronatio ejus.

Ioannes Hunniades.

(a) *-- Semita certè Tranquilla per virtutem patet unica vita.* Iuvenal.

(b) *Vna sylva pluribus elephantis sufficit: homo verò pascitur vix terrã & mari.* Senec.

Mala domestica.

Georgius Podiebratius.

Munsterbergenses Duces.

Matthias Corvinus, Vngariæ Rex.

Vienna obsessa.

Ingens annonæ caritas.

Ludovicus Galliæ Delphinus.

Armeniaci in Alsatia Armen Jägke dicti.

Albertus Marchio Brandeb.

Achilles Germanicus.

Noribergensium bellum.

Bellũ intestinum ob Archiepisc. Mogunt.

Fridericus Palatinus Elect.

Borussia ab imperio avulsa.

Bellũ Cruciferorũ ordinis Teutonici.

Scanderbegus Epiri Princ.

Ioh. Hunniades. Pax decẽnalis cũ Turc.

passus est in Austria & Styria, finitimusq; provinciis. Viennæ ob strangulatos quosdam senatores, unà cum uxore & filio Maximiliano puero obsessus, liberatur à Georgio Podiebratio Bohemiæ rege: inq; gratitudinis signum (c) *filios ejus Munsterbergenses Duces creat. Matthiæ Corvino Ungariæ coronam restituit, qui etiã Viennam urbem obsedit, & in tantas angustias eam adduxit: ut modius farinæ unus 107 florenis venderetur, nihil reluctante Friderico Imperatore. Sub eo Ludovicus Galliæ Delphinus Armeniacorum* (die armen Jägken) *60000 ad Rheni ripam duxit, qui Alsatiam Helvetiamq; graviter afflixerunt; tandem ad Basileam horribiliter casi.* (d) *Bellum quoq; ejus temporibus gestum est grave, inter Albertum Marchionem Brandeburgicum, qui dictus fuit Achilles Germanicus, & civitatem Noribergensem: in quo octies victor Albertus: Noribergenses semel: tandẽ utrinq; egestate pressi* (e) *rem composuerunt. Nec minùs grave & periculosum bellum tum exarsit ob Archiepiscopatum Moguntinum, quem remoto Dieterico Isenpurgico, Pontifex pius 2 Adolpho Nassoviensi, faventé Cæsare concesserat: in quo Dietericum defendit Fridericus Palatinus Rheni Septemvir, & prope Heidelbergam commisso prælio multos principes cepit: & in arce sua, convivium splendidissimum ipsis dedit; sed sine pane: eò quòd antea segetes exussissent, & agricolas fame necassent. Borussia tum etiam ab imperio avulsa, Poloniæ regno conjuncta est: Cruciferis ordinis Teutonici post diuturnum bellum cum Polonis transigentibus: licet postea variâ fortunâ, usq; ad annum Christi 1525. res hac agitata sit. Interim Georg. Castriotus Scanderbegus Epiri princeps, res magnas gerit contra Turcas: ut & Joannes Hunniades: eosq; post multas victorias ad pacem decennalem faciendã impel-*

(c) *-- improbus est homo, Qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.* Plaut.

(d) *Eventus belli, velut æquus judex, unde jus stabat, ei victoriam dedit.* Liv.

(e) *— ò quantum cogit egestas!* Martial.

impellunt. Hunniades quoq; Belgradum unà cum Johan. Capistrano Monacho ab arctissima obsidione liberat, & Turcarum 40000 cædit. Recruduit & bellum inter Gallos & Anglos hisce temporibus, cum multis aliis bellis intestinis: inter ipsum quoq; imperatorẽ Fridericum & Carolum Burgundiæ Ducem ingens orta est dissensio: eò quòd Carolus affectans Imperium, (d) *multas urbes dedit per varias provincias: donec tandem post multas clades & ingentes amissas divitias, apud Nancejũ Lotharingiæ urbẽ victus, occubuit,* (e) *& postridie in glacie mortuus inventus est. Mahometus Turcicus Imperator, inter alia, quà in Oriente tentavit, & perfecit maxima, tandem etiam Constantinopolim sedem hujusce orientalium Imperatorum obsidione 54 dierum expugnavit: Constantinum, ultimũ cum omni sobole regia sustulit: & Turcicæ tyrannidis domicilia ibi constituit A. C. 1453. Persarum quoq; Regem Usun-Casanem afflixit, & multa vicissim* (f) *ab eodem passus est. Horum omnium malorum in Gallia, Anglia, Germania, Bohemia, imò per totam Europam perq; omnem Orientem spectator & auditor cùm esset optimus Princeps Fridericus 3 & eorundem bona pars per annos 53 (quos in Imperio post Augustum Cæsarem vix quisquam assecutus est) tandem tibiâ ferro amputatâ propter gangrenam moritur Lyncii A. C. 1493. Vixerunt cum eo bellicosissimi & præstantissimi Duces per omnes terras Heroibus priscis comparandis tàm Barbari, quàm Christiani. Effloruit sub eo ars Typographica, primùm Argentinæ à Johanne Gutenbergio excogitata; ubi etiã Johannes Mentelius primos autores bonos impressit. Inde Moguntiæ excultà per eosdem: porrò Romam translata per Johannem Gallinacenum: mox Parisiis, Antverpiæ, Venetiis aliisq; locis celeberrimus propagatà & exornata, incredibilem usum* (g) *generi humano in omnes partes præbuit.*

Belgradi liberatio.

Johan. Capistranus Monachus.

Carolus Burgundus cæsus.

Constantinopolis capta à Mahomete A. Ch. 1453.

Vsun-Casanes Persarum R.

Calamitates Frider. Imp.

Mors A. C. 1493.

Heroicum sæculum.

Ars Typographica, Argentinæ reperta.

Ioannes Gutenbergius primus inventor, Socii Ioannes Mentel, & Ioh. Han.

(d) *--- sceptri sic omnibus una cupido.* Valer. Fl.

(e) *Nempe præscriptos hominis transcendere fines.* Claudian.

(f) *Haud facile est, ut qui multa aliis inferunt damna, ipsi nõ multa ab aliis vicissim patiantur.* Plato.

(g) *Imprimis illæ dies, quantũ non scribitur anno.*

CAPUT XXXVII.

DE MAXIMILIANI I. REBUS PACIFICIS, BELLICIS ET SYNCHRONISMO INDICO.

Maximilianus I. Imper. A. Ch. 1486.

PAtri Friderico 3 ceu fidus Achates adfuit Maximilianus filius hujus nominis I: qui anno Christi 1486 in consortium Rom. Imperii electus: & Aquisgrani coronâ Caroli Magni decoratus est, vivente, inspectante & lachrymante patre, qui mutum eum forè metuit: (a) *eò quòd ad annum usq; ætatis nonum parum aut nihil esset locutus: cùm posteà Latinè, Gallicè, Italicè, aliisq; linguis expeditè & facundè cuncta proferret. Hic uxorem duxit Mariam Caroli Burgundi filiam, & Burgundiæ Ducatu per eam potitus est; cùm Annam Britannicam Sponsam in itinere ei rapuisset Carol. 8. Galliarum Rex: quod prudens Imp dissimulavit. Varia & multa magnaq; sua ætate & geri vidit, & gessit ipse, cùm pace tum bello. In pace coluit literarum & linguarũ studia, inprimis Historiarum,* (b) *quibus scribendis ipse per ocium fuit deditus: excitatus haud dubiè exemplo parentis & majorum; sub quibus literæ & artes revixerunt; & multi clari viri in omni disciplinarum genere extiterunt. Academias instauravit complures, & Principibus Germaniæ ad easdem fovendas autor extitit: ut Ingolstadiensem, Tubingensem, Moguntinensem, VVittebergensem, Francofurdiensem ad Oderam, &c. Litium ut aliquis esset modus,* (c) *Judicium Cameræ Spirensis, in Comitiis VVormatiensibus instituit, velut Oraculum in causis graviori-*

Elinguis usq; ad annum ætatis 9.

Eloquens & linguarũ postea peritus.

Conjux Maria Burgũdia.

Anna Britannica à Carolo Gal. R. rapta.

Pacis opera Maximiliani.

Amor literarum & Historiarum Τεωτ erdanck.

Literæ redivivæ.

Academiæ Germaniæ.

Iudicium Cameræ Imper. Spiræ.

Comitia VVormatiẽs.

(a) *Vt vinum, quod in dolio placuit, non fert ætatem: quod est durum atq asperum recens, postea placet: ita adolescentia durior maturescit, & ad frugem pervenit.* Senec.

(b) ἡ ἱστορία καλὸν τῶν ἀνθρωπίνων βίων κάτοπτρον. *Historia est pulchrum humanæ vitæ speculum.* Thucyd.

(c) *Vbi non est pudor, Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides: Instabile regnũ est.* Senec.

vioribus: ut olim Amphyctionicum apud Græcos: Eberhardum quoq; VVirtenbergensem Comitem, superioribus bellis atq; diſtidiis compoſitis, in iisdem Ducem creavit. Bella geſſit multa ac varia; Belgicum cum Flandris, à quibus captivus fuit olim detentus; quod ductu Alberti Saxoniæ Principis, per annos octo continuavit: donec Belgas ſibi obſequentes effecit. Helveticum, totius imperii viribus atq; auxiliis ſuſcepit, contra Helvetios Auſtriam infeſtantes, & plusquam 20000 hominum diverſis in locis interfectis, tandem compoſuit. Bavaricum pro Gulielmo Ludovico & Erneſto ex ſorore nepotibus contra Rupertum Palatinum & Patrem ejus Philippum geſſit, auxilio caterorum Principum Imperii, eusq; multa ademit oppida & arces, in Palatinatu & vicinis regionibus: donec in Comitiis Colonienſibus, operâ Chriſtophori Marchionis Badenſis res fuit tranſacta: qui ex ſua gente tum quoq; florentem vidit Marchionem Badenſem Jacobum, Trevirenſem Archiepiſcopum; qui diverſis legatis, diverſis linguis (e) potuit reſpondere: Romanis Latinè, Gallis Gallicè, Venetis Italicè, Germanis Germanicè. Bellum Venetum ex decreto Imperii (eò quòd Veneti Romam Cæſari, coronationis causâ, ituro, ſalvum conductum denegarant, & oppida quædam ejus in foro Julii occuparant) toto decennio perpetuavit, auxiliis Pontificis Ludovici 12 Galliarum & Ferdinandi Hiſpaniarum Regum: Venetosq; ad pacem petendam, & imperata alia facienda adegit. Multa præterea illius tempeſtate geſta ſunt à Julio 2. Pontifice: à Gallia, Hiſpania, Polonia, Anglia, &c. Regibus, contra Venetos, & contra ſe invicem, omnibus propè partibus orbis terrarum: multa etiam & ſingularia in Perſia, Græcia, Aegypto & in regionibus Affricæ & Aſiæ, finitimisq; provinciis, præſertim Hun-

(e) *Gravis eſt & plena dignitatis dicēdi facultas: quæ plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maxima ſæpè ſtudia peperit.* Cicer.

VVirtenbergici comites creati duces.

Bella Maximiliani Belgicum, ob captivitatem Flandricam.

Helveticum.

Bavaricum.

Rupertus Palatinus & Philippus pater multati.

Comitia Colonienſia.

Chriſtophorus Marchio Badenſis.

Iacobus Marchio Badenſis πολύγλωσσος.

Bellum Venetum.

Socii Maximiliani bello Veneto.

Veneti domiti.

Iulius 2. Pontifex bellator.

Variæ res geſtæ per orbem tempore Maximiliani.

Bella externa Turcica, Perſica, &c.

Hungaria, Transylvania, Moschovia, Russia, Polonia, Livonia, Borussia: Item in regnis Septentrionalibus Scotia, Anglia, Dania, Suecia, Belgii, aliisq; locis, tot denique servorum seditiones, (f) *liga & tumultus rusticorum, præsertim ad Rhenum* der Bundschuch, *&c. populorum & urbium dissensiones atq; contentiones: tot prælia cædes, interneciones, supplicia, mutationes magistratum; ut vix ullo alio seculo, plures sit reperire: quæ omnia tamen mala atq; incommoda Maximil. Imper. fortissimè pertulit, gloriosissimè superavit, plurimis victoriis partis: prudentissimè denique iis moderatus,* (g) *felicem Reip. statum successori tradidit. His addenda sunt navigationes illæ stupendæ in Indiam & novum orbem, auspiciis primũ Christophori Columbi Genuensis tentatæ feliciter A. C. 1492. qui à Gadibus ad Occidentem navigantibus iter aperuit: pòst continuatæ ab Americo Vesputio,* (h) *A. C. 1497. qui orbem novum sive Americam à se dictam, reperit & beneficio Immanuelis Lusitaniæ Regis multas Insulas in Affrica & India occupavit, ad extremum Orientem progressus: demum ulteriùs productæ per Ferdinandum Magellanum A. C. 1520. auspiciis Caroli 5. Imper. qui per fretum meridionale, in America, non in Orientem solùm penetravit: sed navigationem novam per totum terrarum orbem sive per superius & inferius Hemispharium invenit, & freto Magellanico nomen dedit: usus Navarchâ Johan. Sebastiano de Cano. Navis autem, quâ vecti erant circa orbem, dicta fuit victoria; quæ adhuc Hispali asservari dicitur, & quotannis interpolari: ut olim navis Thesei, testibus Platone & Plutarcho. In hoc rerũ statu cùm Vienna convenissent Maximil. Imp. Vladisllaus Ungariæ Rex, Sigismundus Polon. R. & de rebus privatis ac matrimoniis suorũ egissent: de*

Fortitudo, Sapientia, Felicitas & victoriæ Maximil.

Navigationes Indica & in novum Orbẽ. Christophorus Columb. A. Ch. 1492. Americus Vesputius A. C. 1497.

America quarta orbis pars detecta. Ferdinandus Magellanus A. Ch. 1520. Fretum Magellanicum.

Navarchi Johan. Sebast. Canus.

Navis Victoria quæ prima circumdedit orbem.

Conventus trium Regum Viennæ.

(f) *--nec bellua terior ulla est, Quàm servi rabies, in libera colla furentis.* Claudian.

(g) *Cuncta mortalium incerta: quantoq; plus adeptus sis: tantò te magis in lubrico censeas.* Tacit.

(h) *Audax nimiùm, qui freta primus Rate tam fragili perfida rupit.* Senec.

de publicis autem in Comitiis Augustæ quædam essent transacta, præsertim de bello Turcico, & negotio reformandæ religionis: cui ansam præbuit, Doct. Lutherus in Saxonia: Imperator descendens in Austriam moritur (i) *VVelsæ A. C. 1519, ætatis suæ 63, cùm imperasset annis 25, maximè omnium bonorũ luctu: utpotè princeps nulli majorum cedens in quacunq; laudis & officii parte.*

Comitia Augustana sub Maximil. D. Lutherus in Saxonia. Mors Maximiliani Imp.

(i) *Et quæ Generaris, & quæ despicis, omnis æquabit cinis.* Senec.

CAPUT XXXIIX.

DE CAROLI V. REBUS GESTIS PACE, BELLO; RELIGIONIS REFORMATIONE ET DEFENSIONE IN IMPERIO.

IMperio successorem reliquit hic, se suâq; gloriâ dignum Carolum V, suum ex Philippo filio nepotem, Archiducẽ Austriæ, Regnorũ 28 Regẽ; qui vivo adhuc (a) *avo Maranos Saracenicæ gentis reliquias in Hispania delevit: & anno ætatis suæ 20 Imperator creatus est: cùm antea Electores Principes detulissent Imperium ad Fridericum Saxonem, cognomento Sapientẽ; qui multis de causis dignitatẽ hanc repudiavit, & in Carolum 5 transtulit: propter illius egregias virtutes, & spem, quam de se præclaram præbuit. Hujus res gestæ non minùs multâ & difficili in varietate versatæ sunt, quàm ipsius Maximiliani I. tum ratione Ecclesiæ, tum Politiæ, tum etiam vitæ domesticæ. Ob mutationem religionis, & reformationẽ Ecclesiarum* (b) *Pontificiarum, quæ in ipsius tempora incidit, conventus habuit multos & celebres, VVormatiæ*

Carolus V. Imp. An. C. 1519.

Potentia & Virtus Caroli 5. Fridericus Sapiens Dux Imp. creatus recusat.

Grandis mutatio Religionis Caroli.

(a) *Nõ ætate, verùm ingenio adipiscitur sapientia.* Plaut.

(b) *Divinitus præcipitur regibus, ut in suo regno bona jubeant, mala prohibeant; non solùm quæ pertinent ad humanã societatem, verùm etiam quæ ad divinã religionem.* Augustin.

Conventus VVormatiæ A. Ch. 1521. Lutherus præsens causam suam dixit.

tia Anno Christi 1521, ubi Lutherus autor reformationis Euangelicæ, per Germaniam illo seculo præcipuus, coràm dogmata sua exposuit, eorumq; rationē reddidit Noribergæ A. C. 1523: in quo Pontifex Adrianus, cùm emendationem Ecclesiæ & Curiæ Romanæ obtulisset per legatum Franciscum Cheregatum: Natio Germanica sua vicißim gravamina scripto comprehensa, eidem tradidit & concilium liberum (c) *ac universale flagitavit: Spiræ A. C. 1526. ubi utraq; pars admonita, vitam & doctrinam suam instituat ad eum modum, qui probari poßit Deo & Cæsari, usq; ad tempus Concilii: Spiræ iterum A. C. 1529 ubi Euangelici contra eam partem decreti, quæ libertatem religionis usq; ad concilium adimere videbatur, protestati sunt: & ex hoc Protestantium nomen invenerunt. Quin & optimus pacisq; studiosiß.* (d) *Imperator, profectus in Italiam, ob componendum religionis hoc dißidium, cum Clemente 7. Pontifice Bononiæ ea de re locutus est: aliquo cum successu Augustæ, dehinc omnium Procerum ac statuum Imperii conventū egit, A. C. 1530: in quo de religionis controversia tollenda, & de communibus, contra Turcā immaniß. Christiani nominis hostem, auxiliis mittendis, actum est. Religionis negocium multâ curâ susceptum est utriq;, & ab Imperatore, & à Principibus Euangelicis eorumq; confœderatis: exhibita ab his confeßio de præcipuis religionis capitibus, autoribus Luthero & Melanchthone confecta: quæ coram Cæsare postmodum lecta à Pontificiis doctoribus tum refutata, iterum defensa,* (e) *amicè per colloquium explicata, deniq; constantißimè à Protestantibus retenta & publicè divulgata, Augustana confeßio dicta, & in omnem orā orbis Christiani sparsa, velut ultima tuba Euangelii Christi, ante extremum ipsius adventum emissa est.*

Conventus Spiræ An. C. 1526. Salutare Decretū Spirens. Convent. Spiræ A. C. 1529 Protestantiū nomen. Conventus Augustæ A. C. 1530. solennis. Capita deliberationis.

Cōfessio Augustana. Autores ejus Luthe. & Philippus Melan.

Vltima tuba Euangelica.

Cùm

(c) *Qui statuit aliquid, parte inaudita alterâ, æquum licet statuerit, haud æquus fuerit.* Senec.

(d) *Melior tutiorq; est certa pax, quàm sperata victoria. Illa in tuat hac in Deorum manu est.* Liv.

(e) *Nihil est in reb. humanis religione præstantius: eamq; summâ oportet defendi.* Lactant.

Cùm verò tum minùs conveniret inter ordines imperii; super ea re, dissoluto conventu, fœdus Smalcaldia (f) *ineunt Protestantes Principes cum sociis: si fortè propter Euangelii professionem armis peterentur, ut essent tutiores. Ingruente autem bello Turcico, iterum coactis Noriberga Comitiis A. C. 1532, exoptata inter Cæsarem & Protestantes pax facta est, autoribus Alberto Moguntino, & Ludovico Palatino, magnâ omnium gratulatione: donec post multos annos, bellũ Germanicum conflatum est, A. C. 1546; quod Protestantium, Smalcaldicum & Germanicum bellum dictum est: in quo duces fœderis Smalcaldici Joh. Fridericus dux Saxoniæ, & Philippus Landgravius Hassiæ contra Cæsaris proscriptionem sese armis defendentes, succubuerunt,* (g) *A. C. 1547, Dominicâ Misericordiæ: dissipatâ magnâ manu peditum & equitum in Saxonia ad oppidum Mulbergam, & sylvam Lochanam: ubi Saxoniæ dux Joh. Frider. captus, & Cæsari adductus in custodiam datus est: VVitteberga occupata: Landgravius Hassia in potestatem Caroli 5 adductus: Saxonia Electoratus à Joh. Friderico ablatus, & Mauritio traditus solenniter: civitates & alii fœderis Smalcaldici socii (in quibus & Bohemi) multati, ingenti depensâ vi auri & argenti, tormentiq; plurimis hinc inde à Cæsarianis conquisitis; & pax Germania reddita.* (h) *Principes autem captivi demum A. C. 1552, operâ Mauritii Saxoniæ Electoris liberati sunt. Circa illud tempus, Magdeburgum quoq; celebris Saxonia civitas, à Cæsare proscripta, grave bellum, ob religionem sustinuit: & obsessionem arctissimam fortiter pertulit,* (i) *urgente Mauritio duce Saxoniæ, ex Cæsaris mandato: & Lazaro Suendio, nomine Imperii: in quo bello, cùm multa hostiliter essent utrinq; facta, tandem bonis conditionibus*

Fœdus Smalcaldicum.

Conventus Noriber. A. Ch. 1532.

Pax inter Cæsarem & Protestantes Principes.

Bellum protestantium per Germaniam.

Joh. Frider. Dux Saxoniæ.

Philip. Landgravius Hassiæ.

Duces Protestantiũ capti A. Ch. 1547.

Mauritius Saxon. pr. Elector factus.

Protestantes multati.

Principes Protestantes liberati.

Magdeburgensis obsessio.

Lazarus Suédius Imp. dux A. Ch. 1551.

(f) *Quicunq; cum Deo fœdus habent, felicitatiũ tenent fastigiũ.* Philo.

(g) *--- metum quid cade calentibus armis, Quantum ira liceat, motuq; quid audeat ensis.* Sil. Ital.

(h) *Vbi satiũ terruerit; parcendo rursus irritamenta pacis ostẽdit.* Tacit. Agric.

(i) *Fortissimus quisque tutissimus est.* Salust.

bus A.C. 1551 VVitebergæ transactum & obsidio soluta est: civitasq; in fidem Imperii redacta.

CAPUT XXXIX.

DE CAROLI V. BELLIS EXTERNIS, ET SYNCHRONISMIS, TURCICO, RUSTICO, ANABAPTISTICO, PONTIFICIO, UNGARICO, AFRICANO, BELGICO, &c. DEQ; CAROLI SECESSU EX IMPERIO ET VITA.

Alia bella Caroli 5. varia & maxima.

VErùm hæc postrema Caroli V. Imper. in Germania bella fuerunt, armaq; victricia: quæ tamen viginti quinq; annis priùs, per orbem panè terrarum circumtulit, rebus maximis gravissimisq; eo tempore (a) gestis. Nam cùm A.C. 1521 bellum grave & diuturnum ex æmulatione quadam exarsisset, inter Carolum Imper. & Franciscum Galliarum Regem: arreptâ occasione istâ hac, fœdus faciunt Cæsar & Pontifex; ac præsidium, quod habebat in Italia Gallus, inde depellunt: amplissimũ principatum Mediolanensem Francisco Sfortiæ restituunt: quem cùm Gallus iterum in potestatem suam redegisset, accedentes cum copiis Cæsariani ad Ticinum seu Papiam vicerunt Gallum; & in Hispaniam captivum abduxerunt: (b) ubi cùm in morbum incidisset Gallus: & Rex Angliæ cum matre Galli, Veneti quoq; cum Papa multa clàm molirentur contra Cæsarem,

Bellum cum Francisco Galliarũ Rege An. Chr. 1521. cœptũ & diu gestum. Ducatus Mediolanensis controversus. Francis. Gallus Rex captus ad Papiam An. C. 1525.

(a) Πᾶσιν γὰρ εὐφρονοῦσι συμμαχεῖ τύχη. Qui se gerunt prudenter, illis fors faVet. Menand.

(b) Sæpè inter fortunam maximã & minimam nihil interest. Senec.

rem, tandem reddito Ducatu Mediolanensi, & aliis imperatis factis, Gallus in regnum suum honorificè dimissus est, relictis tamen obsidibus duobus filiis majoribus: & certamen illud utrinq; compositum. Hæc dum in Italia & Gallia geruntur: magni quoq; in aliis regnis motus existunt: Turca Belgradum, & Rhodum Insulam, aliasq; provincias capit: Hungariam vastat: tumultuantur in Germania Franciscus à Sickingen contra VVormatienses: rustici in gentem passim seditionem movent, (c) *& miserè cæduntur: Ulricus VVirtenbergicus dux pellitur: & postea ruptâ Suevorum ligâ, per Philippum Hassiæ Landtgraviũ restituitur. Anabaptista duce Thomâ Munzero & alii ejus farinæ hominibus fanaticis, multa turbant per Germaniam; sed suppliciis afficiuntur: recuperato Monasterio urbe VVestphaliæ, quam illi occuparant, A.C. 1532. Interim Franciscus Galliarum Rex fœdere cum Papa & Venetis renovato, iterum negocium facessit Cæsari, super Mediolanensi ducatu, quem defendere conati Duces Cæsariani, Borbonius Princeps, Antonius de Leva, & Fronspergius, cùm auxiliis destituerentur, Placentiam, Florentiamq; præda causâ petiverunt: postea simulantes* (d) *sibi iter esse in regnũ Neapolitanum, Romam de improviso occupant, amisso in oppugnatione fortissimo Duce Borbonio: Pontificem Clementem 7 in Adriani mole obsident, nec nisi post septimum mensem, jussu demum Cæsaris eundem liberant. Interea cædibus, incendio, direptionibus urbem vastantes, donec A. C. 1527 dispersi, & in sua quiq; redeuntes, pax inter Clem. 7. & Cæsarem facta est, ejusq; coronatio Bononiæ anno 1530 secuta. Quo tempore Gallus Neapolitanum regnum adortus, A. C. 1528 Duce Odetto Fuxio Lantrechio Neapolin obsedit, Duces Cæsarianos cepit; & maris usum subditis adenit:*

(c) *Sæviq; animis ignobile vulgus.* Virgil.

(d) *--non solis viribus æquum. Credere; sæpè acris potior prudentia dextrâ.* Valer. Flac.

Liberatio ex captivitate Fr. Gal. R.

Turcici motus terrâ mariq;.

Belgradum captum.

Rhodus Insula amissa.

Franciscus à Sickingen cõtra VVormatienses.

Seditio rusticana.

Ulricus VVirtenbergicus pulsus.

Liga Suevorum ruptæ.

VVirtenbergicus restituitur.

Anabaptistarum bellum.

Bellum cum Francisc. Gal. Rege.

Irruptio in Italiam Cæsarianor.

Romæ occupatio.

Pax inter Cæsarem & Pontificem.

Coronatio Caroli 5. Bonon. A. Chr. 1530.

Regnũ Nea-

pol. afflictum à Gallo. Odettus Lautrechius Dux Franc. Reg. Solymannus Turcarũ Imp.

ademit: graviùs afflicturus Regnum; nisi lue Pestilentia fuisset exercitus ejus deletus: unde pax iterum facta cum Carolo A. C. 1529. Eâ tempestate cùm à Johanne Transylvania VVayvoda Solymannus Turcarum Imp. fuisset attractus (e) in Hungariam & Austriam, contra Ferdinandum; ac trecentis hominum millibus adductis, Viennam obsidione premeret; & Ferdinandus Caroli Fr. Bohemia & Ungaria R. in magno versaretur periculo: Carolus coacto exercitu fortiter eum defendit, cum urbe Vienna: operâ cum primis Philippi Ducis Palatini, qui præsidio urbi fuit, hostemq; repulit: ille autem amissis circiter octoginta millibus hominum retrocessit: sed non sine maxima prada, & depopulatione agrorum quaquà versus, multaq; crudelitate in miseros subditos, exercitatâ; (f) quam etiam anno 1532 reversus cum ducentis armatorum millibus continuavit immanissimus hostis, terdecies oppugnato oppido Gunsio (quod diu Nicolaus Juritzius fortissimè defendit) & emisso exercitu, qui Austriam Lintzium usq; pervasit depopulando, metum magnum Germania incussit. Sed superveniens Carolus cum ingenti manu, ex Italia, Hispania, Germaniaq; comparata, ad ducenta millia peditum & triginta millia equitum, Solymannum adventu suo terruit, (g) ac retrocedere coëgit. Affrica quoq; sensit arma Caroli, cùm Corradinus Barbarossa Archipirata, classis Turcica præfectus, mare suis incursionibus vexavit, & in Affrica Tunetarum Regnum, ejecto Rege Muleasse, occupavit: contra quem profectus Cæsar, adornatâ classe in Affricam venit, urbem Tunetam cum arce Goleta cepit: Muleassem restituit, & sibi vectigalem fecit Anno Christi 1535. Quin ut Solymannum ex Ungaria aliò avocaret Cæsar, Anno Christi 1541 Algieram Affricæ urbem cum magno

Viennæ obsessio. Ferdinand. Hung. &c. Caroli fr. Philippus Palatinus Dux.

Immanitas Turcica A.C. 1532.

Gunsium oppidũ 13 vice oppugnatum. Nicolaus Iuritzius. Turca Lintzium usq; grassatur.

Turcæ fuga.

Bellum in Affrica Tunetanum. Corrad. Barbarossa Archipirata. Muleasses Tuneti Rex.

Algieriana profectio in Maurit. A.C. 1541.

(e) *Populatores terræ, quam à populationibus defendere debebãt.* Tacit.

(f) *Belli non advẽtus solùm, sed etiam metus adfert calamitatẽ.* Cicer.

(g) *Fama bellũ conficit: & parva momenta in spẽ metumq; impellunt animos.* Liv.

exercitu petivit: Mauros & Turcas ibi subactutus: sed cùm calum, ventos, maria & omnia adversa videret: dicens, malle se unum Christianum servare, (h) *quàm mille Turcas aut Pœnos trucidare, reversus est in sua. Deinceps variis defunctus laboribus & periculis in Italia optimus Cæsar; dum Mediolanensem defendit Ducatum; Alexandrum Medices Ducem Florentinum creat: Sabaudiæ ducem restituit: in Belgio Gandavenses & Geldrienses in ordinem redigit: Juliacenses Principes domat & castigat; cum Germanis principibus, & sociis eorum bello contendit: eosq; domitos punit: Gallo ad Metim infeliciter resistit,* (i) *amissâ urbe: eodem interim ad Quintinum caso, & Caleto à Gallis recepto: Poloniæ quoq; regnum augeri vidit, accessione Borussiæ & Livoniæ: Hungariam & Transylvaniam à Turcis vastari, eripi ac minui: multa alia privata quoq; incommoda sibi objici: pertæsus tandem vita & imperii,* (k) *dum pro concilio Tridentino Oeniponti excubat, & contra se bellum moliri intelligit etiam eos, quos penitùs addictos sibi putaverat, adventante Mauritio Saxon. Electore, relictâ Germaniâ, navigavit in Hispaniam & imperii dignitate Electoribus Francofurti resignatâ, omnem gubernationem fratri Ferdinando Romanorum Regi tradidit per Germaniam: in cæteris regnis Philippo filio successore unico constituto, A. C. 1558: nec multò pòst in monasterio ordinis S. Hieronymi ad S. Jodocum, inter pias preces & usum cœnæ Dominicæ placidissimè expiravit:* (l) *Heros incomparabilis & priscis Imperatoribus laudatissimis adnumerandus, vixit annis 59.*

Variis labores Caroli 5. Imperat.

Dux Florentinus primus.
Sabaudiæ Dux restitutus.
Belgici ordines & principes castigati.
Metis amissa.
Prælium ad S. Quintin.
Caletũ recuperatum.
Borussia & Livonia Polon. R. tributa.
Conciliũ Tridentinum.
Mauritius Elector dissipat conciliũ Trident.
Cæsar Carolus relinquit Germaniam.
Carolus abdicat se imperio.
Philip. Caroli F. Hisp. R.
Mors Caroli placida in Monast. S. Iodoci.

(h) *--pax optima rerum Quæ homini nosse datum est: pax una triumphis Innumeris potior.* Sil. Ital.

(i) *Mars est communis, qui sæpè spoliantem jam & exultantem evertit & perculit ab abjecto.* Cicer.

(k) *Principum diligentia est plena simultatum: negligentia, vitiorum: severitas perniciosa: liberalitas ingrata.* Cicer.

(l) *Non potest malè mori, qui benè vixerit: & vix benè moritur, qui malè vixerit.* August.

CAPUT

CAPUT XL.

DE FERDINANDO, ET IN EIUS IMPERIO SYNCHRONISMO GALLICO, DANICO, SVEVICO, MOSCHO, DEQ; RELIGIONIS NEGOTIO.

Ferdinandus Imp. A.Chr. 1558.

Regna.

FErdinandus frater Caroli, delatum ad se ab ordinibus Imperium, Francofurti suscepit A. C. 1558: natus Modinæ in Castilia, & probè educatus, in Austriam veniens, mox Ungariæ & Bohemiæ regnis decoratus est. Propter quæ varia etiam incommoda sustinuit, Johanne Transylvania VVayvodâ, Turcarum contra se tyrannum concitante; quem tamen virtute suâ & ducum Mauricii Saxoniæ principis, Lazari Suendii, Caziani militiis & aliorum fregit: ita ut denique & Ibraim Bassa, Legatus Solymanni sequutus sit Imperatorem ad Comitia Francofurtana, pacemq; (a) in annos octo petiverit. Bella vidit suâ ætate non exigua geri: utpote bellum in regnis exteris, inter Philippum Hisp. & Henricum Gall. Reges; quod postea tamen compositum est, Philippo Henrici filiam in matrimonium ducente: sed Henrico 2. in hastiludio à Mongomero Principe sublato: mox intestinum in Gallia bellum enatum est, ob religionis mutationem, Guisio & Condæo principibus gravissimè inter se dissidentibus: unde multa cædes, (b) urbium vastationes, & alia incommoda nata sunt, præsertim Euangelicis: quorum conciones totæ in Cohors cremata, Senoni mactata, Principes eorum capti, & in exilium

Bellum Turcicum.

Duces & milites Ferdin.

Legati Turcici Francofurti in Comitiis

Bella extera.

Hispani cum Gallo.

Intestina bella in Gallia.

Guisius & Condæus hostes.

Euangelicorũ persecutiones in Gallia.

(a) *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusq; est, quàm illa corona ob cives servatos.* Senec.

(b) *-- Arma nõ servant modum: Nec temperati facilè, nec reprimi potest Strictiensis ira.* Senec.

lium acti sunt: donec Navarra Rege ad Rotomagum, & Guisio ad Aureliam occumbentibus, motus isti utcunq; conticuerunt. Similiter in Dania & Holsatia, à Friderico 2 Dano, & Adolpho Holsatio tumultuatum est: itemq; in Suecia adversus Ericum Regem: quo bello Dani Nordvegam recuperarunt. Moschus quoq; Litvaviam tum invasit & occupavit. In Germania autem cùm Mauricius Saxoniæ Elector, in prælio cum Alberto Marchione occubuisset: Ferdinandus pacis & tranquillitatis publica (c) *studiosiss princeps, mox cuncta dissidia sustulit: ducatũ VVirtebergensem ab ordinibus Sveviæ sibi concessum, & à fratre Carolo confirmatum Ulrico (à Landtgravio Hassia reducto) sponte suâ restituit, directum ejus dominium duntaxat sibi reservans. Pacis causâ conventus instituit Augusta & aliis in locis: Passaviensem transactionem antea factam confirmavit: decreta nobilissima de publica fide* (d) *ac tranquillitate sancivit: unde Concilii Tridentini, & libri Interim per Germaniam finis fuit: exsequias Carolo fratri piè & magnificè fecit: subditos passim cum magistratibus suis per omnes provincias humanitate & prudentiâ suâ rexit atq; in officio continuit: à Pio 4 Pontifice integrum usum Cœnæ Dominicæ pro suis impetravit: literas & literatos amavit,* (e) *& osoribus eorum succensuit: fidem & constantiam in dictis factisq; coluit: tandem catarrhis perpetuis extinctus, A. C. 1564 Imper. 7. ætatis 61.*

(c) *Gloriosius pacẽ sapientiâ firmare, quàm bellum per acies conficere.* Tacit.

(d) *Ardua quippe fides robustos exigit annos.* Lucan.

(e) *Litera omnis industriæ atque omnis laudis nutrices.* Plin. Panegyr.

Bellũ Danicũ & Holsatium.

Bellum Suecicum.

Moschus Litvaniam invadit.

Mauricius Saxo occumbit.

Pacis studiũ in Ferdinãdo.

Ducat. VVirtenberg. Ulrico restitutus.

Conventus Augustæ.

Pax religionis & publicæ trãquillitatis.

Concil. Trident. finitur.

Interim liber expirat.

Exequiæ Carolus Imper.

Integer usus Cœnæ Dominicæ à Pio 4 concessus.

Laus Ferdinandi.

CAPUT

CAPUT XLI.

DE MAXIMILIANI II. BELLIS EXTERNIS, DE SYNCHRONISMO MELITENSI, BELGICO, GALLICO, LIVONICO.

Maximilianus II. Imp. A. Ch. 1564.

SUcceßit Ferdinando Maximilianus 2 filius, pari pietate, moderatione, æquanimitate, candore, fide atq; humanitate præditus (a) Princeps, qui paulo antè renunciatus Romanorũ Rex, itemq; Bohemiæ & Ungariæ statim anno 1566 arma Turcica sensit; quæ ut potuit, fortiter partim repreßit, partim sustinuit: oppidis atq; castellis Hungariæ aliis amißis, præcipuè Julâ & Zigetho: aliis receptis, ut Neustadio, Vesperino, Dotis, &c. Johanne VVayvodâ Transylvaniæ attrahente hostem: ut illius auxiliis Hungariâ potiri posset: cum quo tamen humaniter & amicè Maximilianus Cæsar composuit, etiam cum ipso Turca in octo annos pacem sanciens Germaniam, quanto potuit studio pacavit, & ob id rebelles quosdam atq; ab imperio proscriptos: ut Grumpachium (nobilem Francum, qui Herbipolin diripuerat) & socios in arce Grimmenstein per commissarios imperii, maximè Augustum Saxoniæ Electorem, cepit, atq; suppliciis affecit: (b) munitißimâ arce totius illius provinciæ solo æquatâ, & Johanne Friderico Saxoniæ Duce (apud quem illi latitaverant) in custodiam abducto, A. C. 1567: in qua etiam is mori voluit. Deinceps partam in Germania tranquillitatem publicã, maximo studio defendit (c) atq; conservavit, tam inter Pontificios, quàm Euangelicos; nullius conscientiæ

Bellum Turcicum.

Joh. VVayvoda.

Pax cum Turca.

Grumpachius & alii proscripti puniti.

Grimmenstein arx destructa.

Johan. Frid. Dux Saxon. captus.

Pax in Germania ob religionem.

(a) Omnia adsunt bona, quẽ penes est Sortem. Plaut.

(b) -- Movet & cælestia quondam Corda dolor, lẽtoq; strepunt agmine pœna. Stat.

(c) Paci, qua nihil habet insidiarũ, semper est consulendum. Cic.

tiæ passus vim inferri. dicens, cæli arcem invadere eos, qui in conscientias alterorum sibi imperium sumunt: ideoq; & Austriacæ nobilitati doctrinam Augustanæ confessionis liberam concessit: & ut secundum pacificationem in religione (d) factam, piè, modestè, tranquillè vivant & agant omnes subditi imperii voluit atq; optavit. In finitimis regnis atq; provinciis suo tempore multa horrenda bella, seditiones, cædes motusq; alios sensit, quibus tamen sese implicari nunquā passus est. Bellum Melitense omnium acerrimum & atrocissimum, temporibus ipsius à Turcis gestum, itemq; bellum Cyprium cum Venetis ab iisdem; in quo Nicosia direpta, Famagusta capta, & multa horrenda à Barbaris (e) hostibus admissa sunt: Venetis tamen egregiam victoriam navalem ad Echinadas Insulas, de Turcis adeptis: & Johanne Austriaco in Affrica aliisq; locis multa gloriosè gerente. Sic in Belgico motus quoq; vidit magnos, post introductam Hispanicam Inquisitionem, & Tridentini concilii executionem, à Margarita & Ferdinando Albano duce vicariis Hispan. Regis per illas provincias: quâ Egmondus & & Hornius Euangelici comites capite plexi: Principes Uranienses proscripti, & multa millia hominum perierunt (f) partim intestinis dissidiis, partim vi manifestâ. Nec minùs hac tempestate Gallia fuit afflicta sub Rege Carolo 9, multis bellis civilibus gestis, inter Guisios, Condeum, Admiralium, & cæteros Euangelicos: quibus auxilia tulerunt Germani Principes, cumprimis VVolffgangus Palatinus, qui in illa expeditione piè obiit, cum magno luctu omnium bonorum: & Johan. Casimirus Palatinus, quorum ope pax quidem facta fuit, Anno Christi 1570; sed parum firma: quippe paulò post in festo S. Bartholomæi, & nuptiis Henrici Regis Navarræ cum sorore Caroli 9 improvisâ

(d) *Iure ille in diis proximus habetur, per quem deorũ majestas vindicatur.* Iustin.

(e) *-- Barbarus hostis Vt feraplus valeant legibus armafacit.* Ovid.

(f) πόλεμος εὑρετὴς κακῶν. *Bellum inventor est malorum.* Nazianz.

Moderatio Maximiliani. Religio Austriacis libera A·Ch. 1568

Bella extera sub Maximil.

Melitense cũ Turcis.

Cyprium cum Venetis.

Nicosia & Famagusta.

Venetorũ victoria ad Echinadas Insulas.

Iohan. Austriacus.

Belgica bella.

Hispanica inquisitio.

Egmondus & Hornius sublati.

Vranienses pr. proscripti.

Carolus. 9. R. Gall.

Persecutio Evangelicorum.

VVolffgãgus Palat. Dux Biponti.

Ioh. Casimirus Dux Pal.

Lanienа Parisiensis in festo Bartholomæi.

Admiralius Franciæ trucidatus.

Bella in Livonia.

Germania pacata.

Proles numerosa Maximiliani 2.

Laus conjugis Maximil.

Mors Maxim.

Nova stella in Cassiopea.

visâ & subitâ lanienâ excitatâ Anno Christi 1572, in qua Admiralius Caspar de Coligni, cum multis primoribus (g) *& ingenti ac propè innumerabili hominũ multitudine, per totam Galliam uno tempore miserè periit. Nec quieta fuit eâ tempestate Livonia, VValachia, Russia & vicina provincia: sed à Moschis & Tartaris aliisq; hostibus infestata, quibus omnibus malis ingemiscens optimus Imperator; suas partes agens, Germaniam in alta pace custodivit,* (h) *legibus & disciplinâ bonâ conservavit, ornavit, auxit: domi suæ felix beatusq; ex una conjuge Augusta Caroli 5 filia, sedecim suscepit liberos, quæ raro & virtutis, ita dignitatis exemplo, Cæsaris fuit filia, Cæsaris nurus, Cæsaris conjux, Cæsaris mater: donec tandem continuis doloribus ex palpitatione cordis aliisq; corporis infirmitatibus, Ratisbonæ Principum Imperii agens conventum, ipso die Maximiliani inter pias & ardentes preces, firmaq; fide in* CHRISTUM *servatorem placidissimè expiravit: Princeps pietate, virtute, humanitate, clementiâ, nulli secundus: qui è conspectu colloquioq; suo tristem dimisit neminem: nec* (i) *quicquam citiùs, quàm injurias oblitus est. Decessit anno Christi 1576: cùm in cælo ante paucos annos in Cassiopea asterismo, nova ac prodigiosa visa fuisset stella; quæ anno diutiùs constitit immota, & sensim attenuata evanuit.*

(g) *Cùm bellis ardore sæviturr; meliores potiùs occumbũt.* Minut.

(h) *In tranquillo tẽpestatem adversam optare, dementia est.* Cic.

(i) *Vnum est inexpugnabile munimentum; amor civium.* Senec.

(*)

CAPUT XLII.

DE RUDOLPHI BELLO ET FOEDERE TURCICO DE SYNCHRONISMIS VARIIS, DE EXPEDITIONIBUS UNGARICIS.

SUccessorem imperio reliquit Maximilianus, filium Rudolphum 2, Ratisbonæ in Comitiis Imperatorem designatum, & antea Hungariæ, Bohemiæ, & Romanorum regis titulo condecoratum; verum & genuinum hæredem, ut dignitatū, ita etiam virtutum (1) *paternarum. Sub hoc Turcæ Persæq; gravissima bella inter se junctis Tartaris, gesserunt, variâ fortunâ: Persis tamen plaruṇq; victoribus: quo tempore Amurathes Turcarum tyrannus pacem cum Rudolpho Imper. fecit ad octennium: itemq; cum Persa, cum Polonis, Anglis, Gallis & Venetis fœdera sua renovans. In Mauritania autem inter Sebastianum Lusitaniæ, & Abdelmelechum Mauritaniæ regem pugna exitiosa commissa: in qua cùm Sebastianus captus, & periisse creditus, Regnum Portugalliæ cessit Hispano: quod nunc quidam Sebastianus redivivus ab eodem repetere dicitur. Interim Stephano Poloniæ Regi ingens fuit bellum cum Dantiscanis: deinde cum Moschis propter Livoniam; cui cùm successisset Sigismundus Suecia Rex, bellum inter ipsum & Archiducem Maximilianum ortum est: in quo captus hic, & paulò pòst liberatus fuit. In Belgio motus ob religionem* (b) *ac rebellionem continuati sunt, ad Antuerpiam & alia loca: gubernatoribus, Ludovico Requensio, Johanne Austriaco, Matthiâ Archi-*

Rudolphus II. Imper. A. Ch. 1576.

Bellum Turcicum.

Bellum Persicum.

Bellum Mauritanicum.

Amurathes fœdera renovat.

Sebastianus Lusitaniæ R.

Stephanus Poloniæ R. Dantiscan. bellū & Moscovit.

Sigismundus Suevus & Maximil. Austr.

Motus Belgici.

Gubernatores Belgii Hisp.

(1) *Lumen, quod tibi majores prætulerunt, posteriù ipse præfer.* Plin. epist.

(b) *Summum hominis bonum in sola religione.* Lactant.

Archiduce, Alexan. duce Parmensi, Petro Ernesto & Carolo Mansfeldicis, Ernesto & Alberto Archiducibus Austriæ: qui suis & sociorum viribus Hispaniarum regis partes, hucusq; variâ fortunâ tutati sunt, contra Principes Uraniæ, VVilhelmum & Mauritium, status Hollandiæ & Seelandiæ, eorumq; auxiliatores, Gallos, Anglos & Germanos quosdam Principes atq; Comites: qui magno itidem conatu hucusq; libertatem (c) patriæ & religionis defenderunt, Ducum potentiâ, militum robore, consiliariorum peritiâ & felicitate suffulti: in quibus Martinus Schenckius etiam claruit, ab Hispanis ad status deficiens. Aquisgrani etiam, Coloniaq; ob libertatem religionis diu multumq; hac tempestate dimicatum est: donec submoto Gebhardo Truchsessio (qui ductâ Agnete Mansfeldicâ in uxorem, religionis utriusq; libertatem juxta pacificationem veterem subditis concesserat) Ernestus Bavariæ Dux, Præsul eligitur & confirmatur. In Gallia non minùs magna & periculosa bella hucusq; fuerunt, ob religionis dissidium (d) inter Principes Gallia Evangelicos & Regem Carolum 9, ejusq; fratrem Henricum 3: qui hac tempestate Poloniæ Rex factus, post paucos menses, auditâ morte Caroli fratris in Galliam rediit, non sine magna Polonorum indignatione: (e) sub quo recruduit bellum civile ac intestinum; quod variis modis utrinq; diu multumq; gestum est: præcipuè Guisiis & Henrico Navarræo, eorumq; sociis, acriter inter se dimicantibus: & ex illorum parte Sanctâ Ligâ Catholicorum, ex horum exercitibus Germanorum res sustentantibus: non sine multis incommodis Gallia, Lotharingia, Burgundia, Mompelgardia, Alsatia & vicinarum regionum atq; civitatum: donec Guisiani de ambitu, regni suspecti, ab Henrico 3 jugulantur. Rex autem ipse,

Principes Uraniæ & socii. Status Hollandiæ & Seelandiæ.

Martinus Schencke.

Aquisgrani & Coloniæ motus.

Gebhardus Truchsessius.

Ernestus Bavariæ Dux.

Gallici tumultus.

Henricus 3. Andegavens. Rex Poloniæ

Intestinũ bellũ in Gallia.

S. Liga.

Guisiorũ interitus.

(c) Ita præclara est recuperatio libertatis: ut ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. Cicer.

(d) Fides suadenda est, non imperanda. Bernhard.

(e) Inter vicinas acies cognataq; signa Ut vinci miserũ, nunquam vicisse decorum est.

ipse à Jacobo Clemente Monacho, (f) *cultro venenato occisus, animamq; agens, pro legitimo successore agnoscit, & declarat Henricum 4 Borbonia & Navarræ Regem; qui quòd diversæ esset religionis, armis se regnumq; tueri hucusq; necesse habuit: variis privatim insidiis sicariorum expositus, & publicæ vi æmulorum objectus, Guisianorum cumprimis, quibuscum multa maximaq; prælia commisit: tandem verò superatis cunctis malis, cùm Lutetiæ apud S. Dionysium professus esset, se Catholicum: in regem Galliarum ungitur & confirmatur. Quod regnum etiamnum contra omnes adversarios, & recens contra Sabaudum (bello gravi ob Marchionatum Salutiorum gesto) mirâ felicitate ac fortitudine defendit, inimicos cunctos in gratiam recipiens, & ad tranquillitatem regni sui omnia consilia referens: nuper Florentinâ Principe virgine in matrimonium ductâ. Floret etiam sub hoc Imperatore, Elisabetha Angliæ regina, jam multis annis, in vita cœlibe, eruditione, virtute,* (g) *felicitate, potentiaq; clara, quæ opponens se viribus Hispanorum & vicinorum æmulorum, multa hucusq; pericula & labores infinitos sustinuit: Mariam Scotiæ Reginam adversariam sustulit: Armadam Hispanicam 150 navium in mari* (h) *dissipavit: Indiam & alias remotissimas Insulas, Draconis Navarchæ industriâ inquisivit: Cales Males occupavit: aliisq; rebus bello & pace terrâ mariq; gestis, nunc Gallicano & ordinum Belgicorum fœdere* (i) *munita quiescit, fœmina rara exempli. In Germania tranquillus sic satis fuit status sub optimo hoc imperatore Rudolpho: nisi quòd ob Calendarium Gregorianum Anno Christi 1582 introductum, Augusta Vindelicorum, & alibi tumultuatum est; itemq; in agro Coloniensi, ut supra dictum, & Argentinensi: ubi decedente*

Iac. Clemens Monach. Héric. 3. occidit. Henric. 4. Navarræ & Galliæ R. bellicos. Pericula ejus.

Conversio ad fidem Catholicam.

Conjugiũ cũ Princ. Florentina.

Bellũ Sabaudicum.

Elisabetha Angliæ Regina.

Armada Hispanica.

Draco Navarcha Angliæ. Cales Males.

Calendarium Gregorianũ A. Ch. 1582. Tumultus Augustanus. Argentinense bellum.

(f) *Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet Effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.* Aeneas Sylv.

(g) *Fœminas conspecta virtus inter magnos viros posuit.* Senec.

(h) *Nihil tàm capax fortuitorũ, quàm mare.* Tacit.

(i) *Amicos plures habere, multis gloriosum; reprehensioni nemini fuit.* Plin.

Iohan. à Manderscheidt Episcopus.
Duo Episcopi Argent. diversæ relig.
Iohã. Georg. Brandeburg.
Carol. Loth. pr. Car.
Marchionatus Badensis controversus.
Ernestus Fridericus Marchio.
Edvardus Fortunatus Marchio pulsus.
Annus Iubilæus sub Clement. 8.
Ducatus Ferrariensis.
Banniti cohibiti.
Turcæ violãt pacem A. C. 1592.
Bellum Turcicum grave & diuturnum.
Exteræ legationes & auxilia.
Sigism. Batt. Transyl.
VVayvoda.
Teuffenbach.
Mansfeldius.
Schvvarzenberg. &c.

dente è vivis Johanne à Manderscheidt, Episcopo, ob duos simul diverso Canonicorum calculo electos Præsules, bellum exortum est: Evangelicis Johan. Georg. Brandeburgicum, Pontificiis Carolum Lotharingiæ Cardinalem, non sine magno totius provinciæ damno (k) *defendentibus: quibus malis tamen bonitate, consilio, prudentiâ, virtuteq; Cæsaris & obviam hucusq; itum est, & remedia adferuntur quotidiè. De Marchionatu quoq; Badensi contentio fuit, Principi Ernesto Friderico, cum Edvardo Fortunato agnato, qui cùm alienare eum vellet, & gravia quædam alia moliretur contra suos, exutus est Dynastiâ Badensi; & in exilio periit. Hæc & alia dum geruntur passim per orbem Christianum sub imperatore nostro (solâ propè Italiâ sub variis Pontificibus hisce annis quiescente, & latum Jubilæum sub Clemente 8 Pontifice celebrante; nisi quòd de Ferrariensi Ducatu aliquandiu etiam certatum fuit: & Banniti tumultuantes cohibiti sunt) Turci violatâ pace,* (l) *in Croatiam iterum irrumpunt, Anno Christi 1592. Castra, arces & oppida quædam capiunt, novumq; ac periculosum bellum excitant: in quo gerendo, optimus Cæsar cum fratribus, Archiducibus Matthiâ & Maximiliano multis jam annis vehementer occupatur. Dumq; interea Moschus & Persa cum Tartaris & VValachis multa, missis legatis muneribusq;, pollicentur: Transylvanus quoq; Sigis. Battori vitam & fortunas omnes impendit: ingens rerum oritur vicissitudo: victoriâ nunc penes hostes, nunc penes Christianos* (m) *existente. Christiani Teuffenbachium, Mansfeldicum, Schvvarzenbergicum, aliosq; fortissimos duces & bellicosos milites, prudentissimosq; consiliarios (qui ad Strigonium, Jaurinum, Budam, aliisq; in locis, res fortiter feliciterq; pro salute suorum gesse-*

(k) *Exigua ratis, densis compacta clavis, gravius onus gestat, quàm navis amplissima, revulsas habens compages.* Nazianz.

(l) *Occultum & insidiosum malum perfidia, quæ tantum incommodi humano generi adfert; quantum salutis bona fides præstat.* Valer. Maxim.

(m) *Licet omne tecũ Gracia robur trahas; Licet arma longè miles ac latè explicet: Fortuna belli semper ancipiti est loco.* Senec.

gesserunt) multis votis nunc expetunt atq; desiderant. Cumq; non exiguo hodie in discrimine constituti omnes sint, cum optimo Imperatore & reliquis fortissimis Ducibus, ob Canischæ propugnaculum totius Styriæ & Austriæ nuper à Turcis ereptum, & Agriam aliaq; loca munitissima jam pridem amissa: meritò sanè his recuperandis, tuendis autem conservandisq; iis, qui pro salute Christianorum & Imperii Romani, sua objectare capita, & singulis momentis, cervices suas, hostibus immanissimis, feriendas præbere, (n) nunquam cessant: intenti debent esse omnes, suasq; opes & auxilia omnia conferre ex toto orbe Christiano, quotquot horrendas in Deum blasphemias & fœdam servitutem, sub Ottomannicis tyrannis ferendam aversantur: gloriam verò Dei, libertatem patriæ, professionem Christianæ Religionis, salutem posteritatis, unà cum majestate Cæsarea, totaq; laudatissima domo Austriaca (quæ unicum à tot annis Christianorum, contra Turcam juratum & communem hostem propugnaculum extitit) salvam & incolumem videre, posterisq; relinquere cupiunt.

Gloriosi duces mortui. Periculũ Christianorum.

Austriaca domus propugnaculum cõtra Turcas. Votum.

(n) Honesta mors turpi vitâ potior: & incolumitas ac decus eodẽ loco sita sunt. Tacit.

Atq; hic sit terminus finisq; institutæ Narrationis nostræ Historicæ, ex qua studiosi harum rerum haud dubiè cognoscere poterunt: quæ à primordio Mundi, (o) ad usq; natum Servatorem CHRISTUM, & inde ad præsentia nostra tempora memorabilia gesta sint: quæ fuerint imperiorum, Regnorum ac Magistratuum principia, progressus, mutationes, interitus, tàm in Ecclesia, quàm in Politia: & simul ὡς ἐν παρόδῳ ac obiter videre, quæ mortalium hominum conditiones sint ac vicissitudines; qui casus rerum, quæ varietas ingeniorum, studiorum, consiliorum, actionum humanarum: quàm multiplex, lubrica & inconstans

Conclusiõ Narrationis.

(o) Nescire quid antequã natus sit acciderit, id est, semper esse puerum. Cicer.

constans fortuna: quàm infinita omnes in partes virtutum atq; vitiorum exempla: qua deniq; singulorum pramia & pœna: ex quibus eligat quisq;, sibi ex usu quid siet: (P) *ut possit* λέγειν τε ἄριστα, καὶ πράττειν τὰ δυνατὰ, ζήλῳ τῶν ἀρίστων καὶ φυγῇ τῶν χείρονων, *optima dicere, & possibilia facere, amulatione optimorum & fugâ deteriorum: & sic animum, studia, actiones cunctas cùm publicè tùm privatim dirigere ad verum finem: qui est gloria* DEI; *& Reipublicæ, privataq; sui cujusq; salus & incolumitas: qua de re in Historia Practica suo tempore copiosiùs.*

Venimus ad portum magni dulcisq; laboris:
Anchora sit CHRISTUS, *fessa carina, tibi.*

(P) *Hoc illud præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum: omnis te exemplo documenta in illustri posita monumento intueri: unde tibi tuaq; reipub quod imiteris capias: unde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Liv.

Benigne lector,

Errata sic corrige. p. 4. in margine κακίοις *l.* κακίας. ibid. δρείοις *l.* δρείας. p. 4. in marg. priores l. pejores. p. 7. v. 6. Iam l. Iain. p. 27 cœpit. l. cepit. p. 23. v. 13. post dictionem, uxorem, adde, duxisset. p. 25. v. 3. inermis l. inermibus. p. 29 v. 29. Iuveni l. Iuvene. p. 46. v. 25. post dictionem, templum, adde, Iani. p. 51. v. 13. in margine causa. l. canta. p. 53. v. 8. Hydaspis l. Hystaspis. p. 55. v. 15. excussit, l. exussit. p. 59. v. 25. gloriæ l. gloriâ. p. 71. v. 23. aliiq; l. aliaq;. p. 86. v. 6. cœpit l. cepit. p. 91. v. 17. caperent. l. caperet. p. 101. v. antepenult. infectores l. interfectores. p. 112. coërcendos l. coërcendas. p. 120. v. 15. post dictionem, Thracia, adde, loco. pag. 122. v. 26. tonm l. totum. p. 133. πλάτον *l.* πλάτον. Quæ præterea sub manu irrepserunt σφάλματα: per Te emen labis, lector æquissime: talem enim appello. Quis enim adeò est oculeus, ut unus videat omnia? Si quis verò tam est rigidè lynceus in alieno; quod fieri consuevit: ut acies oculorum ejus nullus apex prætereat: is sanè (per me licet) Homeri Iliada membranæ fiue mendis inscribat, nuci includat: qualis à Cicerone, teste Plinio, visa fuit. Bonus lector, quod petimus, agnoscet & ignoscet.

FINIS.